Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Specimen exegeticum continens Pauli de predestinatione decretorum enarrationem

https://hdl.handle.net/1874/300742

Misc. doctr.
Qu. n° 192

1. Lamping, J. A. Pauli de praedestinatione decretorum enarratio.
2. Julius, G. De Nicia, Demagogo et belli duce.
3. Ringnalda, M. N. De oratione montana Evang. Matthaei cap. V-VII.
4. Frantz, J. G. Notiones anatomicae et physiologicae de vasorum septemate apud veteres, ad Galenum usque, quasi introitus ad sanguinis introitus historia
5. Cramer, J. De Arianismo.
6. Embrechts, F. E. De vi juris gentium Europaei in consuetudinem quae Portam Ottomannicam inter et caeteras Europaeas gentium intercedit.
7. Koning, W. A. De Gerardi Zutphaniensis vita, scriptis et meritis.

PAULI DE PRAEDESTINATIONE DECRETA.

TYPIS G. T. N. SURINGAR.

RIJKSUNIVERSITEIT UTRECHT
1417 2732

SPECIMEN EXEGETICUM

CONTINENS

PAULI DE PRAEDESTINATIONE DECRETORUM

ENARRATIONEM

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MED. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

ISAÄCUS ARNOLDUS LAMPING,

Ex pago Sprang

BRABANTIUS SEPTENTRIONALIS.

A. D. XV M. APRILIS ANNI MDCCCLVIII, HORA I.

LEOVARDIAE,
G. T. N. SURINGAR.
MDCCCLVIII.

SYLVESTRO ARNOLDO LAMPING.

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCTORI.

PATRUO CARISSIMO.

VIRO AMICISSIMO.

HUNC LIBELLUM MITTIT SCRIPTOR.

Jubet animus tibi hunc dedicare librum, vir doctissime, cum quo et cognatione sum conjunctissimus et amicitia, quemque singulari veneratione prosequor et amore.

Mittendo ad te hoc scripto profiteor quantopere illud laeter quod tu, cujus saluti prorsus desperabamus omnes, convalueris ex morbo gravissimo, quo periit eheu! tota fere domus nostra.

Quum vero quod tu nobis es servatus immortaliter gaudemus, renovatur simul memoria illorum, quibus orbata est domus, matris tuae optimae, fratris, sororum, brevissimo spatio nobis ereptorum.

Ierunt hi quo jam devenerant parentes mei, quorum recordatio quamvis jucunda summi luctus nostri acerbitatem auget. Quotus enim quisque talem luget patrem, ac matrem qua nulla mater fuit melior, nulla pietate praestantior!

Hisce optimis, carissimis ut non sit dignum monumentum, at animi mei erga eos pietatis sit specimini quod velim accipias opusculum.

Vale et nos dilige

Scr. Beetsterzwaag. Non. April. IOCCCLVIII.

L. S.

Pauca accipe, benevole lector, de ratione et consilio opusculi quod tibi offero.

Praeparare potius quam exhibere potui meliorem atque evidentiorem Pauli de praedestinatione decretorum expositionem. Sed profecto, si recte hoc functus sim officio, non habeam quod aegre feram. Plurima enim sunt quae melius sint explicanda ante quam possit via ac ratione enarrari Pauli perpetuitas et constantia doctrinae.

Hinc factum est ut scriptio mea non tam sit composita ad disciplinae artem, quam habeat formam simpliciorem et spectet facilem rerum diversarum quas tractandas haberem expositionem.

Quae fuit causa quod non gravatus sum edere hunc librum nondum absolutum. Impediverunt me variae res quominus, postquam satis temporis operaeque consumseram in conficienda vel elucubranda hac scriptione, ad finem propositum perducerem opus. Volueram addere disputationem qua expenderem sententias quasdam vulgo probatas, praecipue cl. Scholteni de Rom. IX-XI. et decretis Paulinis opiniones; quam disputationem nunc quidem reservare visum est.

Denique lectorem moneam, cum detinerer alienis in negotiis, aliquantum temporis intercessisse a prioris partis descriptione, ita

ut et Weissii et v. Hengeli et aliorum opera uti non potuerim neque eorum sententias referre et expendere. Quamquam appendice aliqua relatis novis hoc scriptum potuissem aliqua ratione supplere, tamen putavi satius esse relicto hoc proposito nunc claudere rivos alioque modo tradere si quid utile habeam dicere.

Quid est quod gratius esse debeat discipulo qui ad calcem decucurrit spatium Academicum, quid jucundius quam fateri et profiteri quantopere omnibus cupiat doctoribus suis qui cum officiis suis tum doctrina aliisve rebus obstrictum eum sibi habeant. Quo quidem officio me publice posse fungi vehementer gaudeo.

Nominare debeo duos viros doctissimos, H. Wijgman Snel et H. E. Vinke, v. cl.

Te appellanti, praeclare Conrector Gymnasii Zuollani, suavissima mihi oboritur et gratissima tui tuaeque disciplinae memoria. Quanta tibi debetur mea gratia, qui sciendi elementis et cogitandi me erudiveris, imbueris amore studioque litterarum antiquarum. Quam delectabar lectione scriptorum quos tu, vir optime, mihi interpretabaris. Quanta voluptate tecum legebam praestantissimos illos Xenophontem et Ciceronem et Sallustium et divinum prorsus Caesarem. — Sis mei memor, vir bone ac facilis, ut te semper animo grato ac veneratione prosequor.

Tibi etiam, cl. Vinke, plurima debeo; qui non solum doctrina me tibi obstrinxeris, verum etiam et aliis rebus mihi gratum feceris et munere suscepto Promotoris multis modis me meamque operam adjuveris. Pro quibus erga me beneficiis gratias tibi agere publice jucundum est officium. Sit tibi propitius Deus domuique tuae gravissime denuo afflictatae.

Amici quos Ultrajecti habeo et qui nunc in diversa loca abiistis, valete. Semper simus memores gaudii et usus quae habuimus. Valete et me diligite ut vos diligo.

Dat. Beetsterzwaag. Non. April. IↃCCCLVIII.

SUMMARIUM.

PARS I. Vocabulorum explicatio et definitio . . . . p. 2.

Cap. I. Verbi προορίζειν . . . . . - 3.

Cap. II. Vocabulorum ἐκλέγεσθαι, ἐκλογή, ἐκλεκτός. - 10.

Cap. III. Vocum καλεῖν, κλῆσις, κλητός . . . . - 31.

Cap. IV. Vocabulorum, quae tempus indicant quo facta sit electio . . . . . - 42.

Cap. V. v. HENGELI de explicatis vocabulis sententia - 44.

Complectitur dicta et illustrat enarratio 2 Thess. II, 13, 14. - 53.

PARS II. De causa efficienti electionis . . . . . - 59.

Cap. I. Dei efficacitatis circa salutem hominum e scriptis PAULI adumbratio . . . . . - 60.

§ 1. Praeparatio . . . . . - 60.

§ 2. Explanatio locorum, quibus vel memoratur electio vel significatur . . . . . - 65.

§ 3. Reliqua testimonia de efficacitate divina . - 84.

Cap. II. De praescientia . . . . . - 95.
§ 1. De verbo προγιγνώσκειν, Rom. VIII, 29. - 95.
§ 2. De sententia Rom. VIII, 28 sqq. . . - 111.
§ 3. De praescientia universe spectata . . - 120.
Cap. III. De sententiis a PAULO vel declaratis vel significatis Cap. IX. Epist. ad Romanos . . - 127.
§ 1. Prolusio . . . . . - 127.
§ 2. Explanatio dictorum Rom. IX, vrs. 10—13. - 144.
§ 3. Expositio dictorum vrs. 14—18. . . . - 173.
§ 4. Expeditio dictorum vrs. 19., 20., 21. . - 195.
§ 5. Enarratio vrs. 22. sqq. . . . . - 206.

ARGUMENTI DESCRIPTIO.

Expositionem hanc decretorum PAULI Apostoli de *praedestinatione* bipartito distribuimus.

Priore parte explicantur vocabula et definiuntur quae in hoc argumento usum et auctoritatem habent.

Altera parte tractatur quod habendum est hujus argumenti caput, quaestio de causa efficienti electionis ad salutem.

Priori parti annectitur disputatio de conditione naturaque rerum, quae vocabulis explicatis indicantur; qua tractatur imprimis haec quaestio, utrum res ac sententiae, verbis subjectae, sint generales an temporis definitae adjunctorumque ratione. Posteriori disputationis parti admiscentur quaedam de *reprobatione* q. d. et aliis rebus quae ad summam argumenti pertinere videntur.

Hanc divisionem secutus sum facilioris magisque perspicuae expositionis causa materiae. Siquidem versatur cum maxime haec scriptio in PAULI dictis ac sententiis *interpretandis*, illa visa est optima distributionis ratio, qua facillime possent narrari quae dicenda essent ac devitari dictorum iterationes.

PARS I.

EXPLICATIO ET DEFINITIO VOCABULORUM, QUAE IN PAULI DE PRAEDESTINATIONE DECRETIS USUM ET AUCTORITATEM HABENT.

Haec scriptionis nostrae pars est quasi praeparatio quaedam rei in hoc argumento primariae, quam Parte II. tractamus. In qua causa ne identidem redeundum esset ad explicationem verborum, quae frequentavit PAULUS, praemittere visum est quae ad vocum, q. d. *technicarum* pertinerent interpretationem. Cernuntur hae maxime verbis προορίζειν, ἐκλέγεσθαι, καλεῖν et quae horum sunt conjugata. Tum etiam haud absurde hîc quaedam videbantur posse addi de *temporis* definitionibus quae in hac re memorantur. Postremo hîc tractanda duxi cl. v. HENGELI de vocibus expositis et Apostoli institutione, quae praedestinationem spectat, sententiam.

Itaque haec pars continetur hisce quinque capitibus. *Primo* explicamus usum verbi προορίζειν; *deinde* agimus de verbo ἐκλέγεσθαι et cognatis vocibus; *porro* de verbo καλεῖν et quae hinc ducta sunt vocabula; *tum* monemus pauca de temporis definitionibus: *denique* sententiam narramus et expendimus, quam defenderunt et alii et imprimis cl. v. HENGEL.

Gravis omnino est vocabulorum significationum cognitio accurata quae philologia comparatur; verbis rite explicatis magnopere adjuvatur reliqua disquisitionis pars. Neque quemquam credo qui et superioris aetatis ineptas verborum explicationes cognoverit, quibus perverterint PAULI sententias, et hodieque etiam prave insistere multos in verbis explicandis meminerit, supervacaneam judicaturum operam accuratae navatam elementorum enodationi et expositioni, quippe qua via praetervecti scopulos unice ad verum possimus pervenire.

CAP. I.

DE VERBO προορίζειν.

Ordimur a verbo, unde nomen duxit doctrina nostra. Vox *praedestinationis*, quam vocat DOEDERLEIN tam barbaram quam lubricam (*Inst. theol. Christ.* (ed 4) I, 304), versio est verbi προορίζειν, quo praeter PAULUM usus est LUCAS uno loco Act. IV, 28. Locis continuo enarrandis ita clare prodit verbi notio, ut multis de illa agere non opus sit.

Prius autem verbi origo et usus apud profanos scriptores illustranda videntur. Verbi simplicis et apud Graecos et in s. Scriptura frequentior est usus. Ὁρίζειν originem duxit a voce ὅρος, quae significat *lapidem terminalem*, qualibus agri olim et regiones distinguebantur. vid. L. C. VALCKENAER *Sel.* II, p. 122. Epica et ionica dialecto pronunciabatur οὖρος. Hac significatione legitur apud HOM. *Iliad* XXI, 405. τὸν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἐμμέναι οὖρον ἀρούρης, de *lapide magnae molis*. Cfr. XII, 421. HEROD. I, 93. Inde universe notat *terminum*, *limitem*. Mire doct. MEYBOOM (*Waarh. in Liefde*, 1846, p. 220) finxit originem verbi a voce ὄρος, *mons*, quacum nihil communionis habet, nisi forte hoc, quod utraque vox exstiterit ex eadem radice *ΟΡΩ* (ὄρνυμι); proprie igitur *id quod extollitur*, *altius est*. A substantivo ὅρος habemus verbum ὁρίζειν, *terminum ponere*; unde *limitare*, *definire*, *statuere*. Cujus usus translati afferre juvat exempla quaedam, ut penitus perspiciamus et sentiamus, quid Graecis denotet verbum ὁρίζειν.

POLYB. X, 43, 6, συνθήματα ὡρισμένα, de *signis*, quibus utuntur in ταῖς πυρσείαις. DIOD. SIC. *Bibl.* I, c. 77: κατὰ γονέων ἀποκτεινάντων τὰ τέκνα θάνατον μὲν οὐχ ὥρισαν. AESCH. *Choeph.* 881 (ed. Bamb.): πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδε σοὶ ῥίζει (em. Elmsl. ad Eur. Med. 57. Libri σ' ὁρίζει) μόρον. EURIP. *Iph.* T. 986: ἀλλ' ἥνπερ ἡμῖν ὥρισεν σωτηρίαν, συμπραξον. Idem *Antiop. fr.* XVI. 2. ed. Beck: τὸ δοῦλον γένος

πρὸς τὴν ἐλάσσω μοῖραν ὥρισεν θεός. — Easdem potestates habet verbum in N. T. vid. Luc. XVII, 22, Act. II, 23; X, 42; XI, 49; XVII, 26, 31. Rom. I, 4. Hebr. IV, 7. Notat semper *definire*, *constituere*, significatione pro re nata paululum vel coarctata vel dilatata.

Verbi simplicis cognita ratione, facile explicantur composita; praesertim si praepositio quae ducit verbum ut nostrum πρό, non multum habet difficultatis. Προορίζειν significat *ante* ὁρίζειν, ita ut ratio habeatur *temporis*, quemadmodum innumeris verbis obvenit. *) Quo loco habenda sint, qualia protulit TITTMANNUS in illa *commentatione*, qua jura linguarum vindicet, (*Opusc.* p. 615: „Etenim constat inter viros graece et hebraice „peritos, verbum προορίζειν Rom. VIII, 29. Eph. I, 5. nihil „amplius significare, quam ὁρίζειν, vehementerque falli, qui in „praep. πρό emphasin aliquam esse putent; hoc vero denotare: „*decernere, velle* (?)"), sponte patet. Aguntur hîc res, ab opinionum arbitrio sejunctae. — Verbum προορίζειν in Graecorum scriptis relictis rarissime invenitur. Citant duos locos HELIO-

*) Non assentior Viris egregiis GOD. HERMANNO et FRITZSCHIO, etsi dubitanter statuentibus, otiosam esse nonnunquam praep. πρό. Ille in *Ann. ad* VIG. p. 860 laudat exemplum προδιδάσκειν. FRITZSCHIUS (*Conject.* I, p. 29) eos qui in verbo προετοιμάζειν praepositionem premendam esse negarent habere sane quod videantur secuti esse dixit hoc verbum προδιδάσκειν. Postea non in eadem sententia deprehendi virum praestantissimum. Vid *Ep. ad Rom.* II, p. 339. Ut in ullo verbo, ita in citato locum habere posse praepositionem abundantem pernego. — Verbum προδιδάσκειν vel rationem *temporis* effert, ut THUC. II, 40 (prius docuit quam etc.), vel plerumque aliam praepositionis potestatem exprimit. Cernitur haec nonnunquam in tali usu, qualis obtinet in VV. προνοεῖν, προορᾶν, siquidem fit institutio in favorem instituendi. Vel etiam praeuntem informat praepositio διδάσκαλον; „saepe" (semper), „ubi abundare videtur, habet aliquam vim" HERMANN l. c. Quod in multos locos convenit, v. c. PLAT. *Gorg.* 489 D, et quos laudat ibi STALLBAUM; ubi notio *antea docendi* latet. Memorem praeclara verba STALLBAUMII ad locum *Gorgiae*, quae utilem exhibeant admonitionem et meam sententiam plane referant: „Quemadmodum," inquit, „facile largimur verba simplicia „pro compositis poni, quia quod verbis deest, id ex universa oratione saepius commode licet cogitatione adjicere; ita verba composita pro simplicibus „usurpari praefracte negamus, quoniam absurdum foret, si quis id quod „verbis significasset, non vellet intelligi, sed animo rursus amoveri."

DORI Editores novissimi *Lex. Passov.*, quos ipse videre non potui. D.D. V.V. reddunt: *vorher bestimmen.* Conjunxit Heliodorus προορίζειν ἡμέραν, *ante definire diem*, et altero loco διαδρᾶναι τὸ προωρισμένον, *effugisse effugere, quod ante constitutum erat.*

His praemonitis, paullo accuratius conspiciamus locos N. T. in quibus legitur verbum nostrum. In V. F. omnino non occurrit; sed in N. T. sex locis. Act. IV 28. Hymno, quem cantu et precibus Deo dicabant Christiani, celebratur Deus, qui fecerit omnia, contra quem surrexerint reges terrae ac principes. Nimirum ut facerent quaecunque (ὅσα) divina manus ac βουλὴ (per Zeugma ad posterioris notionem solam pertinet) προώρισε γενέσθαι; quae consilio decretoque divino praefinita erant. — Non sermo est h. l. de salute decernenda; conspicimus philosophiam piae mentis Christianae, cui non possit probari, Herodem et Pilatum interfecisse Christum sua sponte; non acquiescit in sceleribus illis ac flagitiis, sed cogitando de iis recedit ad Dei consilia, quibus, ut fierent, omnia decreta sint. — Verbi προορίζειν satis dilucida h. l. est significatio.

Videamus de usu Paulino. I Cor. II, 7. agit Apostolus de σοφίᾳ illa divina, de coelesti philosophia, quae aperiatur cordibus per Spiritum S.; quam sapientiam, absconditam et incognitam, προώρισεν ὁ θεὸς πρὸ τῶν αἰώνων εἰς δόξαν ἡμῶν. Itaque praedestinavit Deus sapientiam divinam, ut per eam (credendo in eam) fiamus regni coelestis socii. — Videmus eandem notionem verbo redditam: *ante constituere, decernere, praedestinare, vooraf bepalen, beschikken, besluiten.* De diversis rebus usurpari potest, ut jam exemplis probatur. Sed voluit usus, ut maxime proprium esset verbum doctrinae, de qua inquirimus. Quare ll. cc. notionem generalem verbi constituere voluimus; de dogmate nihil. Restant autem quatuor loci Paulini graviores in hac re, et invicem cognati argumenti similitudine, et arctius cum doctrina *praedestinationis.* Namque haec homines ponit objecta decretorum Dei, et finem

aeternam beatitatem. Jam Rom. VIII, 29, 30. Eph. I, 5, 11. objecta nuncupantur τοῦ προορίζειν, et insuper de fine agitur cui praefiniuntur. Quorum locorum igitur enarrabimus illam partem, qua de usu verbi doceamur.

Rom. VIII, 29, 30. — „Quos Deus προέγνω, eos praefinivit ad conformitatem etc." hoc igitur verbo cum adjunctis effertur quales esse futuros τοὺς προεγνωσμένους constituerit Deus. Jubet contexta oratio, ut referatur praep. πρό ad tempus superius. Etenim ingressus est Paulus hanc disputationem, ut consolaretur Christianos de casibus acerbis, quos iis esse docet emolumento, hoc solatio: quos aeterno decreto complexus sit Deus, largietur iis aeternam beatitatem. Quod probaturus persequitur Apostolus, quae Deus administraverit, ut οἱ ἀγαπῶντες τὸν θεὸν reddantur beati. Inter haec etiam τὸ προορίζειν συμμόρφ. κ.τ.λ., antecedens initium fidei, nempe τὸ καλεῖν. Delegamur ab Apostolo ad tempora superiora, quo referre solet decreta divina.

Ut autem cujus rei adeptionem praefiniverit Deus, rite capiatur, tenendum est hanc formulam (συμμόρφ. κ.τ.λ.) idem valere quod vrs. 30 voce δόξα denotatur; „nam quam rem Deus hominibus antea destinarit, ea ut homines potirentur Deum curavisse exponit vrs. 30." (Fritzsche). Quid vero significat n. l. conformitas illa qua continetur summa Christianorum salus? Respondent alii aliter. Piscator: „imago, primum in cruce, deinde in gloria." Calv: „nos ferendae cruci addixit." Sed enim vero neque quo jure referatur εἰκών ad passiones video, nec qua ratione haec conspirent cum gloria, quam unam h. l. conspicit scriptor. Tum sane quam inepta foret consolatio Christianorum molestiis obrutorum ac summi luctus acerbitate, si quis illorum animo depingeret atrocia mala, qualia passus sit Christus et quae pati filiis Dei sit destinatum.

Non melius perspicere videntur et locum et verba, qui Christi sanctitatem propositam a Paulo hîc opinentur. Inter quos video doct. A. L. Poelman (*de praed. div.* etc. praemio

aureo orn. Gron. 1849), non perspicue sic reddentem loci sententiam p. 14: „consilium vero hocce est, ut tam indole, „quam conditione Dei Filio J. Christo fiant similes, itaque „sint *συμμόρφ. τ. ε. τ. υ. θ.*" (Voce *conditione* quid voluerit V. D. significare, non satis scio, siquidem et Christi gloria et crux designata esse potest). Sanctitatis notionem non recipit vox *εἰκών* (v. infra), neque contexta oratio, quae tota est in gloria *τῶν ἀγαπώντων τὸν θεόν* describenda et vindicanda; quum contra sanctitatis notio toto loco aliena sit.

Tam mire in alienam sententiam traxit locum n. DOEDERLEIN, ut ejus expositionem paucis referre debeam (in l. c. I, p. 305): Paulus „urget similitudinem cum Christo" [immo cum imagine Christi], „qui" [id quod equidem non lego] „et ipse Dei Filius adversitatibus suis exemplum dederit exitus beati. Quoscumque enim dilexit, eosdem quoque destinavit ut exemplo conformarentur Filii sui, quo is fratrum suorum sit dux et caput. Quam rationem inierit in Filio suo adversitatibus tradendo et morti, quo ad augustissimam dignitatem adveheretur, eandem servat in reliquis filiis suis, mala plurima hujus vitae ante honores futuros decernendo. Quos autem cum Christo destinavit ad passiones, [nimirum hoc est Doederleinio *καλεῖν*], vocatos beneficiis adfecit [*ἐδικαίωσε!*], beneficiis adfectos ad *δόξαν*, dignitatem et honores summos evexit." Haec DOEDERLEIN. — An potuerit profiteri hanc sententiam P., addubitem; dixisse h. l. quam maxime possum pernego; nec bene agi sic de Theologia existimo neque fructuosam fore veritati cui servimus omnes, illam interpretandi rationem, qua dicere cogantur ss. SS. quodcumque placeat interpreti.

Nobis videtur locus sic intelligendus esse. Conformitatem imaginis Christi consummationem esse gloriae et felicitatis Christianae, flagitat contextus, et aliis dictis Pauli egregie illustratur. Inprimis huc pertinet finis capitis III Ep. ad Philipp. Redux de coelo Christus in *παρουσίᾳ* corpora nostra in eum, quem ipse habet, formaturus est habitum et velut, transfiguraturus. Christianorum et Pauli beatissima erat spes

fore ut Christus transformaret ipsorum corpora caduca et humilia, ut sint conformia ejus corpori augustissimo. Vera, consummata *υἱοθεσία* demum in *παρουσίᾳ* Christi accipitur, quae est *ἀπολύτρωσις* corporis terreni ac vilis. Cfr. 1 Cor. I, 9. Rom. VIII, 17. Joh. XVII, 22. 1 Cor. XV, 49. 2 Cor. III, 18. Rom. VIII, 23. (Ubi vid. MEYERUS) Hoc modo perpetuitatem orationis comprehendimus. Inde a vrs. 18 sibi opponuntur *τὰ παθήματα τοῦ νῦν καίρου* et futura gloria fidelium. Horum movent Apostolum afflictationes et infortunia; quae consolaturus depingit iis summam beatitatem, erigit animos spe *υἱοθεσίας*; revocat ad statum *τῆς μελλούσης δόξης ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς* (vrs. 18), quum adepturi sint *τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος* (vrs. 23). Ad hanc *δόξαν* perventuros *τοὺς ἀγαπῶντες τὸν θεόν*, lectoribus persuadet Apostolus vrs. 28 sqq.; ad hanc praefinitos esse adipiscendam vrs. 29 elocutus est.

Eph. I. 5. 11. Post dicta copiose hunc locum enarrare non opus est, praesertim cum infra accuratius de toto loco agendum sit. Haec pauca monemus. Objectum verbi *προορίζειν* est *ἡμᾶς*, i. e. nos qui Christo fidem habemus. — Objectum remotius, s. res, cujus adeptionem nobis *προώρισε* Deus, est *υἱοθεσία* per J. Chr. — Praedestinatur igitur ad summam Christianorum gloriam et felicitatem.

Rursus usurpatur verbum vrs. 1, et quidem forma passiva. Porro sic cum antecedentibus junctum, ut praep. *πρό* sua pollere vi clare appareat: *ἐκληρώθημεν* (al. *ἐκλήθημεν*) *προορισθέντες κ.τ.λ.* i. e. nos qui ante praefiniti eramus secundum propositum etc., nempe ut consequeremur adoptionem.

Ad haec perpendantur quae dixit BRETSCHNEIDER, (qui ne in Lexico quidem occultavit aversationem doctrinae Calvinianae) s. v.: „Sermo est de eo Dei decreto, quo definivit, „quinam inter Judaeos et gentiles primi debeant vocari ad „regnum Dei; non vero ut plerumque putatur, de electione „quorundam inter Christianos ad salutem aeternam." De Judaeis et Gentibus sermo nullus ll. cc. quod qui libera mente

nec opinionibus obstricta praejudicatis interpretatur, sponte videt. Quam *repellit* BRETSCHN. explicationem non vindicabit illam sanior interpres.

„Ex vi verbi igitur est de rebus antequam fiant aliquid „definire, easque ad certum finem dirigere." (Fr. TURRETTINUS *Inst. Theol. Elenct.* I, 365). Quocirca „infelix illud prae-„destinationis vocabulum" (TITTMANN *Opusc.* p. 614) haud ita infeliciter reddere videtur graecum, cui respondet in *vulgata*; etsi magis Latine foret *praefinire* vel aliud verbum. — Omnia autem de quibus ante fit decretum, et quae ad finem certum praefiniuntur, recte dicuntur προορίζεσθαι. *Cum* sapientia potest praefiniri, et Christi mors, *tum* possunt homines. *Haec* usu *praedestinatio* dicta est.

Vidimus bis tantum vel ter hoc sensu occurrere verbum προορίζειν, et his locis beatum finem spectari. Quare AUGUSTINUS (*Ench. ad Laur.* c. 100. *De civ. Dei.* XIV, 27, *al.*) et qui hunc secuti sunt, maxime Reformati, formulam dicendi Paulinam superant *), ubi finxerunt *duplicem praedestinationem*. Tametsi damus verbum esse *medium*, et Paulum, si voluisset nuncupare decreta ad perniciem, perinde potuisse uti hoc verbo, quoniam, si verbum solum spectatur, ad bonum aeque ac malum potest quis dici προωρισμένος, tamen „temere nimis in re tam ardua" (MILTON *De Doctr. Christ.* p. 31) hoc fit, quum non praeeat s. Scriptura. Docuit eventus multis modis peccatum esse in proponenda duplici praedestinatione.

Paucis denique de opinione memini doct. MEYBOOM, quam exposuit in opere periodico *Waarheid in Liefde*, ad an. 1846. Part. II, p. 217 sqq.. (*De Leer der voorbeschikking, volgens*

*) Provocarunt *Reformati*, ut defenderent suum usum, ad Act. IV, 28. Audias B. DE MOOR respondentem objectioni ECKHARDI *Fasc. contra Calvin.* p. 302), l. l. de reprobatione Christum crucifigentium sermonem nullum esse, sed de ordinatione illius facti ad bonum finem: „Haec non sunt opponenda sed componenda." „si vox praedestinationis sic accommodatur sceleribus ab hominibus patratis, quidni et eorum personis?" (Comm. p. in J. Marckii Comp. II, 7).

Non nostrum inter vos (hos) tantas componere lites!

PAULUS). Reduxit hanc doctrinam ad aliam quandam, cui neque proprium est verbum προορίζειν, et quae cum maximo detrimento cum illa confundi videtur. Permiscuit V. D. vocc. προορίζειν, πρόθεσις, μυστήριον, referendo omnia ad eandem rem, cum contra sedulo distinguenda sint, si bene velis docere. Explicuit M. doctrinam de μυστηρίῳ, cujus explicationis non detrectem virtutes. Tantum quod non tangit *praedestinationem* vulgo dictam, cui bene respondere vidimus verbum graecum προορίζειν. Siquidem valent usu verba, alia appellatione vellem signatam illam doctrinam.

Coartamus dicta, et complectimur summam hisce tribus: PAULUS utitur verbo προορίζειν ut significet Deum ad certum finem destinare homines.

Destinatio illa facta est tempore, quod praecessit.

Finis ad quem destinatur est gloria Christi et consummatissima Christianorum beatitudo.

CAP. II.

DE VOCIBUS ἐκλέγεσθαι, ἐκλογή, ἐκλεκτός.

Fert ita instituti ratio, ut agamus de voce in hac re notissima, de *electione* dico, quam notionem expressit PAULUS verbo graeco ἐκλέγεσθαι et quae inde originem traxerunt. Horum significatus e scriptis Paulinis accurate erucre et explanare conabimur. Praecedat autem declaratio, qua via ac ratione talis indagatio nobis videatur peragenda esse.

In Theologia Biblica maximi usus est regula hermeneutica, quam nimis neglectam puto: primarium parallelorum usum contineri ipsius quem interpretamur auctoris scriptis. Etenim, pleraque verba licet non alio apud alium ejusdem aetatis scriptorem valeant usu, non semper usu venit constantia illa vocabulis, quae dicuntur technicis, qualia sunt in omni dis-

ciplina et institutione. Praesertim solet desiderari in rebus dogmatices et metaphysices, ubi quidlibet audendi semper fuit potestas. Quotus enim quisque philosophorum non peculiarem privamque vocabulis subjecit notionem?

Quamquam in hoc numero non sunt existimandi ss. Scriptores, tamen adeo valet de Paulo, ut saepius attigerit hic res subtiliores, quas explicare non posset sine notionum praecipuarum appellationibus propriis ac privis. Has autem plerasque vel ipsum cudere voces necesse erat, vel certe usitatis nova cogitata complecti. Non suppeditabat vocabula quibus usus erat Jesus, siquidem nimis distabat utraque docendi ratio. In Jesu institutione omnia diriguntur ad normam sensus communis intelligentiaeque, ratione certa ac definita (*concreet*); Paulus plerumque dialectice procedit et disserendi ratione complectitur notiones universas; illic rerum et orationis infinita pro variis hominibus ac momentis diversitas, hîc jam certior typus est docendi; animi pravitatem et errores opinionum, inde oriundos oppugnat Dominus Jesus, ut conderet regnum coelorum, Paulo jam alii errores exstirpandi erant, litesque componendae acriores inter ipsos Christianos. — Unde efficitur Pauli doctrinam contineri non potuisse nomenclatione Evangelica; et exspectari potest Apostolum cum novas excogitaturum notionum appellationes, tum alias conformaturum ad rerum necessitates. Meminisse sufficiat voces πίστις et δικαιοσύνη. Cfr. J. WITKOP, *Voorlezingen over het wezen des Christendoms*, I, p. 191 sq. — Rursus admonetur interpres, si haec rite dicta sunt, ne in explicandis talibus vocibus nimium quaerat praesidii in aliis scriptis, neve aliunde enarret doctrinam auctoris; sed sedulo hujus loquendi usum perscrutetur, et singularum vocum vim, notiones, complexiones, qua maxima possit accuratione ac religiose, de sententia auctoris explicet. — Ut autem revertar ad propositum, *electionis* nempe *Paulinae* indagandam notionem, reputetur Christum vocasse ad regnum Dei, idem condidisse, et ut hoc perficeret, docuisse, monuisse, reprehendisse; quorum relatio-

nem exhibent Evangelia. Paulum vero scripsisse coetibus, jam abhinc annis aliquot conditis, frequentatis litibus et altercationibus. Cavillabantur Christiani e gentibus, superbiebant qui stirpis Judaicae erant. Angebantur alii intimis sensibus de Judaeorum mente aliena a Christo. Rursus alii poterant promissa detrectare Dei, quibus Judaeis esset pollicitus primas in regno Messiae; cum fortasse alii sua merita supponerent, ut aenigmata solverent. Quales rationes moverunt Apostolum, ut meliora doceret, ac suae et Christianorum piae menti satisfaceret. Quibus jubemur bene distinguere, et disputationem continere ipsius Pauli Epistolis, quae in hac re non deficient quaerentem.

Nudum verbum ἐκλέγεσθαι tam simplex est, ut vix cogitationem suscipiat tantarum dissensionum. Compositum est e verbo λέγω et praep. ἐκ; respondet Lat. *eligere*, nostro *uitkiezen*, *verkiezen*. Forma media effertur: *sibi eligere*, quae tamen assignatio, ut in aliis verbis, saepe desuevit; Atticis quoque activum et medium promiscue usurpantur. — Latini discernunt *deligere* et *eligere*, „ita ut illud sit ex pluribus sed „idoneis, hoc ex promiscua multitudine legere." (Heusing. ad *Nep. Ages*, I, 3). Cfr. Bremi ad *Pelop.* II, 2. Cic. *Tusc.* II, 1. 1. Sic judices apud Romanos non *eliguntur*, sed *leguntur*, *deliguntur* vel *seliguntur*, vid. Cic. *p. Mil.* VIII, 21. IX, 23. *Dejot*, VIII, 24. Quamquam non sufficit linguarum analogia ad concredendam voci Graecae significationem Latinae. Maneat autem, verbi ἐκλέγεσθαι propriam esse notionem *eligendi ex multis*, ex *aliis* certe, ne videamur vel minimum ipsi tribuere verbo, quod e singulari usu demum ad id pertineat.

Probabile est Paulum mutuatum esse verbum a versione Alexandrina, in qua frequens ejus usus est et respondet Hebr. בָּחַר. Etsi non satis constat de origine significationis, certissimum tamen est, *eligendi* propriam esse verbo Hebr. Mihi melius videtur proficisci a notione *eligendi* et inde repetere ceteras, ut fecit Gesenius in *Lex.* Germ. lingua confecto (ed. 3) et in *Thesauro* I, p. 198 sq., quam rationem se-

qui ab eodem GESENIO propositam in *Lexico Lat.* (1833), qua *probandi, explorandi* significatio primo loco ponitur. Sed non magnopere hoc refert ad rem nostram. — Ut verbi usum bene capiamus, attendamus unum alterumque locum. Deuter. VII, 6 sqq.: „Populus tu est sanctus (קָדוֹשׁ) Jehovae; te elegit (בְּךָ בָּחַר, LXX σὲ προείλετο), ut sis ei populo peculiari ex omnibus terrae populis. Non ob magnam multitudinem tuam amore te complexus est (חָשַׁק proprie *tibi adhaesit, tibi affixus est;* vid. GESENIUS. nostrates: *De Heere heeft geen lust tot u gehad),* et elegit vos (וַיִּבְחַר בָּכֶם ἐξελέξατο ὑμᾶς LXX); nam estis populorum omnium minimus; sed propter amorem suum erga vos (legitur hîc verbum אָהַב *amare*), et ut fidem servaret" etc. — Denotat igitur בָּחַר, ἐκλέγεσθαι, Dei actum, quo ex omnibus ceteris populis Israeliticum sibi elegit ut esset לְעַם סְגֻלָּה sibi. Porro etiam animadvertatur, diserte a בָּחַר discerni אָהַב, quum amor dicatur causa, cur Deus populum elegerit. Cf. Deut. XIV, 2. X, 15. XVIII, 5. 1 Sam. X, 24. Ps. XXXIII, 12, felix praedicatur populus, quem Deus בָּחַר לְנַחֲלָה לוֹ, ὃν ἐξελέξατο εἰς κληρονομίαν ἑαυτῷ cf. Ps. XXVIII, 9. XLVII, 5. Jes. XLI, 8, 9, et HARLESS ad Eph. I, 4. — Haec sufficiant quae facile augeri possent specimina e V. T., unde multum proficimus ad cognoscendum usum Paulinum, cum hujus fundamentum sit illud.

Fuerunt qui verbo Graeco aliam significationem adjudicarent, quam *eligendi*, quod verbum Hebr. eandem saepius amitteret, et reciperet *probandi, diligendi* notionem. Exemplo sit NOESSELTUS, haec docens (*Interpr. Gramm. Cap. IX, Ep. Pauli ad* Rom. 1765. p. 23 sq.): „ἐκλογή hîc (9:11) nullo modo est „*electio* neque magis ἐκλέξασθαι *eligere* semper, aut ἐκλεκτοί „ubivis *electi* sunt; sed est ἐκλέξασθαι *diligere, probare,* „ἐκλεκτοῖς respondent *cari, probati, dilecti,* ἐκλογή *benignitas* „igitur est s. *benevolentia.*" Haec probare studet V. D. ex usu Hebraico. — Paucis verbis multa peccantur. Etenim Hebraica vocabula male explicata sunt. Ubicumque verbum בָּחַר *favendi, amandi* significationem habere videtur, prae se

fert semper praerogativam aliquam; et recte monet JULIUS FUERSTIUS *diligendi, delectandi* notioni subjectam esse *legendi, eligendi* cogitationem. E. g. Jes. LVIII, 5. ex *eligendi* significatione manavit *probare, delectari*, de jejuniis dictum; non deletur propria notio. Nullibi autem adj. verbale בָּחִיר, ἐκλεκτός, invenitur nisi propria sua significatione. Sive de Saulo rege usurpatur, sive de Mose, sive de populo Israelitico, constanter inest notio *electus*. Vox ἐκλογή non omnino in V. F. legitur. Quid porro judicandum de hac ratiuncula: quia LXX מְנֻעָמִים Ps. CXLI, 4, reddiderunt per τὰ ἐκλεκτά, ἐκλεκτός significat *carus*! Proinde quasi debuerint probe reddere vocem hoc tantum loco occurrentem! neque qui *cupedias* reddidisset τὰ ἐκλεκτά, censendus esset exprimere voluisse notionem, quae non sit absona cibis delicatioribus, nempe *ciborum electorum*. — Sensim ferimur ad aliud peccatum, quo nititur sententia NOESSELTI; sc. confudit V. D. *significationem* vocum et earum *sensum*, de quorum observando discrimine disputavit B. MORUS, et ejus operis hermeneutici editor EICHSTAEDTIUS *). Cum primis parallelismo cavendum ne a significatione verborum nativa nos abduci patiamur. Quod NOESSELTO accidit.

*) Cl. H. E. VINKE pro sua erga me benevolentia mecum communicavit haec verba viri praeclari, Cl. Heringa, qui in MORI sententia acquiescere non posset. (*Opp. exeg. et hermen.* ed. a cl. VINKE, Traj. ad Rh. p. 376 sqq.) „Concedo," inquit, „ad exprimendam significationem, uni voci aut formulae propriam, adhibendas esse saepenumero alterius linguae *plures voces*, easque *varias* pro varietate rerum significatarum. Sed hinc minime „duci potest hoc, alium esse *sensum*, aliam esse *significationem*. Qui est *sensus* „vocis, eadem est *significatio* ejus; qui est *sensus* sententiae, dicendus quoque „est significatus. Possumus discernere *significationem singulorum verborum* „a significatione *totius formulae* aut *enunciati*. Sed id discrimen possumus „aeque indicare dicendo: *significationem singulorum verborum*, nude et simpliciter spectatorum, differre a *significatione formulae* aut *enunciati*, sive a „significatione, quam habeant verba in hoc illove enunciato. Si igitur ex MORI „sententia statuatur discrimen *significationis* et *sensus*, me judice, nullum „est," caett. Etsi, v. cl. secuti, MORI distinctionem rejicimus, tamen, mutato nomine, manet et viget quod exposuimus contra NOESSELTUM argumentum. Brevitati consulturi, ineptas voces *significatio* et *sensus* obtinuimus, quae indicent rem verissimam.

Nimirum quia qui Jes. LXV, 15. dicuntur בְּחִירִים continuo vocantur עֲבָדִים, non debucrat utrumque idem habere. vid. Ps. LXXXIX, 4. Si eodem sensu de iisdem dicitur עַם יְהוָה et בָּחִיר יְהוֹה, non significat propterea עַם idem quod בָּחִיר; neque בָּחִיר Ps. cit. significat *servum*. Sed qui Dei sunt *electi*, iidem vocari possunt Dei *servi* et populus, salva singularum appellationum propria vi. *Porro* qui argumentantur usum loquendi Hebraicum manca et infirma edunt, quum „Hebraicum בָּחַר tum *deligere* aliquem, tum *diligere* designare frustra observetur, nisi vocabula Graeca ἐκλέγεσθαι, ἐκλογή, ἐκλεκτός, utramque nationem complexa esse doceatur" (FRITZSCHE *ad Rom.* II, p. 298.) Quae afferuntur specimina graeca non minus debilia sunt. Luc. XXIII, 35, Christus dicitur ὁ τοῦ θεοῦ ἐκλεκτός; loco parall. Matth. XXVII, 43, legitur εἰ θέλει αὐτόν. Quid? ἐκλεκτός, inquiunt, significat *carus*, *quem Deus amat*. Atqui haec non valent. Maneat sua vis cuique voci; illic dicitur *electus*, hîc *carus*. Cui mirum, Dei electum eundem esse carum Deo? non quia unquam idem significant voces, sed quia quem delegerit carum habet. Temere concludi videmus, verbum quo denotetur alicujus rei (h. l. *amoris*) manifestatio et effectus, de ipsa illa causa rite usurpari. — Similiter BRETSCHN. (Lex. s. v. ἐκλογή) lapsus est eo, quod, quia qui eligit, cui data est eligendi optio, *liber* esse putandus est, idcirco ipsam *libertatis* notionem voci tribuit. Locis laudatis a BR. nihil efficitur, quia utrique optime convenit *delectus* significatio, et fictitia est *libertatis* notio. *Denique* attingo nullum omnino apud Graecos exstare locum, ubi vox ἐκλογή amittat suam notionem. Citavit quidem BRETSCHNEIDER RAPHELIUM, *Ann. ex Pol.* p. 437, sed frustra, quoniam omnibus locis Polybianis propriam vim vindicat ipse RAPHELIUS. Advocatur autem alius locus POLYBII, quem non exhibet RAPH.; scilicet I, 47, 9: διὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ἀνδρῶν; non accurate reddit verba SCHWEIGH. *Lex. Pol.* p. 194: „propter praestantiam selectorum virorum." Significant v. v.: propter delectum virorum, quia accuratus factus est delectus virorum. EDITT. *Lex. Pass.* I,

p. 840: *sorgfältige Auswahl.* — Itaque non „Lexicorum auctoritate decepti" (NOESSELT), sed suadentibus et imperantibus lingua et sana interpretatione, tuemur vocabulorum propriam potestatem. Nisi forte usum Paulinum hanc vindicare docetur vetare. Quem usum ut cognoscamus, jam opera danda est.

Verbum ἐκλέγεσθαι in N. F. saepe usurpatum est. In Epistolis Paulinis bis tantum legitur, vel si mavis quater: Eph. I, 4, 11. 1 Cor. I, 27, 28. Ceteros locos N. T. congessit BRUDER *Conc.* p. 298. Ubique propriam hîc habet verbum significationem *eligendi, deligendi*: vid. e. c. Luc. VI, 13. Jo. VI, 70. XV, 19. Act. VI, 5. Locis Paulinis eandem obvenire manifestum est; quare nos non demorabitur locorum alia de causa infra enarrandorum expositio. Diutius autem nos detinebunt vocc. ἐκλογή et ἐκλεκτός; quibus expositis simul illa collustrantur.

Vox ἐκλογή in scriptis N. T. praeter Paulina, bis invenitur. Act. IX, 15. et 2 Petr. I, 10. — Illo loco substantivum pro adjectivo positum est. Ubi miratus sum magnum VALCKENAER, qui (*Sel.* I, p. 451) Hebraismum advocaverit; quum Graecis non inaudita sit talis permutatio. „Quoniam enim adjectivum notat id, quod alicujus rei vel partem aliquam vel aliam quamcunque notam contineat, non alienus est Genitivus in commemoratione conditionis, ab illa re quae genitivo casu nominatur repetitae" (G. HERMANN. *App. ad Vig. Idiot.* p. 888.) Notio propria h. l. deprehenditur perinde ac loco Petrino, qui utcunque alioqui judicatur, certissime prae se fert *eligendi* notionem. — Ex quibus ll. nihil lucramur nisi hoc, quod nobis persuademus, NOESS. BRETSCHN. al. commenta minime niti auctoritate usus loquendi N. F. Ceterum nihil ad notionem *electionis Paulinae* conferunt. Itaque reducitur disquisitio ad locos Epp. Pauli, quos paulo copiosius enarrare necesse est.

1 Thess. I, 4. — Exorsus epistolam a laude Thessalonicensium, quorum fidei, charitatis, et spei constantiae ἀδιαλείπτως memor in precibus sit, pro iis gratias agens Deo, sic pertexit orationem: εἰδότες (Silvanum et Timotheum συνεργοὺς suos

in societatem vocat scientiae et gaudii), *ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ θεοῦ, τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν* (sic enim distinguendus locus; cf. 2 Thess. II, 13. Rom. I, 7. Contortius jungitur cum *τὴν ἐκλογήν*; praeterea sane quam inepte additum foret, siquidem aliam electionem praeter divinam non noverat Paulus). Declaratur causa tum gratiarum actionis, tum perpetuae ipsorum recordationis (BEZA); scilicet cernebant, deprehendebant eorum *ἐκλογήν*. Notandum *ὑμῶν* esse genitivum objecti, h. m. „electionem divinam qua vos electi estis." Vel nihil dicit Paulus, vel *ἡ ἐκλογή* suam notionem habet, „*σχέσιν* aliquam ad paucitatem s. particularitatem" (BUDD. *Insl. Dogm.* p. 1168). Rem explicat scriptor ipse vrs. 5 sq. *ὅτι τὸ εὐαγγ. κ.τ.λ.*, *nam* (vid. LUENEM. ad h. l.) Evangelii denunciatio non fuit tantum *ἐν λόγῳ*, quod saepius evenire significatur; sed etiam *ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ*. Electionem Thessalonicensium cognoscere se significat Apostolus ex efficacissima sua Evangelii praedicatione inter ipsos. Dein recurrit ad eorum in recipiendo alacritatem et constantiam fidei, quod PAULO est documentum electionis. Esse hanc electionem ad fidem habendam Christo, vix opus est commonstrare, quum alia cogitatione percipi non posse videatur. Nam de delectu ad dignitatem aliquam non facile quis h. l. cogitabit, et absurdum foret, si Apostolus, de propagandae Evangelii cognitionis locutus ratione, argumentaretur *κηρύξεως* efficacitatem et Thessalonicensium fidem, charitatem et spei perseverantiam. Immo de *electione* sermo est ex qua manarint fides, charitas, spes, quas vicissim habeat P. specimina illius. — Hic locus, licet non sit admodum subtilis, egregie confert ad notionem cognoscendam *τῆς ἐκλογῆς*, quam sic interpretatur LUENEMANN, Comm. p. 22 sq.: „*die Action Gottes, vermöge welcher er von Ewigkeit her* (hoc alibi docemur) *Einzelne zum Gläubigwerden an Christus vorherbestimmt hat.*"

Rom. IX, 11. Multis de causis gravissimum locum in altera parte commentationis ex perpetuitate disputationis Paulinae enarrabimus. Quare plerisque relictis secuturae expositioni, hic

tantum formulam *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ* ut rite animo complectamur studebimus.

πρόθεσις. „Hac voce significatur id quod sibi quispiam faciendum quasi ob oculos posuit in ipsa mente effectivum, quod Hebraeis declarat *dicere in corde suo*." BEZA ad Rom. VIII, 28. Vox Graecis frequentata est, sed aliis potestatibus. Significatione *propositi, consilii*, utitur serior Graecitas, frequentissime POLYBIUS. Sic I, 54, 1: *τὰ κατὰ τὴν πρόθεσιν ἀπετέλεσε*, „exsecutus est quod propositum erat" III, 69, 12: *χωρὶς προθέσεως*, „re non deliberata" (vid. SCHWEIGH.). PAULUS solet uti hac voce de rebus salutis; quare bene interpretatus est BENGEL: „propositum quod Deus constituit de salute suorum." Dumne ipso vocabulo designari putes, WITSII paraphrasis usum Paulinum explanare videtur: „Firmum fixum Dei decretum, cujus ipsum numquam poenitere potest, quodque aliunde non dependet, sed in solo Dei beneplacito fundatum est, cll. II Tim. I, 9." (*Oec. Foed.* Lib. III cap. IV, § 4). Porro notandum, vocem esse *mediam*, et posse usurpari de omnibus propositis, sed consuetudine Apostoli ad solam salutem referri (Cfr. RÜCKERT, *Magazin für Exeg. u. Theol.* etc. (1838) I, p. 30). NOESSELTUS et TITTMANNUS voci vindicare studuerunt *benevolentiae* significationem. Ille (p. 24) argumentatur PHOTII (ap. OECUM.) auctoritatem, vertentis *ἡ βουλὴ θεοῦ*. At ne hujus quidem sententiam cepit NOESSELTUS, quum *βουλὴ* Graecis nunquam denotarit *gratiam*, sed vulgo *consilium, propositum, decretum*. HER. VI, 101, al. HOM. DEM. passim. TITTM. (*Opp.* p. 616) laudat auctoritatem HESYCHII, apud quem explicetur: *προαίρεσις*, hoc vero apud scriptores elegantiae Graecae sit *benignitas*. Vellem advocasset scriptores illos TITTMANN, quem fefellit vocis *προαίρεσις* significatio non minus quam *προθέσεως*. Quemadmodum enim *προαιρεῖσθαι*, profectum a notione *praeoptandi, praeferendi*, vulgatam accepit significationem *apud se constituere, sibi proponere, decernere*, sic *προαίρεσις* HESYCHIO erat, ut Graecitatis perito, *consilium, propositum*. Vid. PASS. *Lex.* (nov. ed.) I, p. 1083.

WETST. ad II Tim. III, 10. Saepe quidem maxime propria est vocis notio *arbitrii liberrimi* (*willekeur*, POLYB. III, 8, 5, 6. I, 45, 9. *κατὰ τὰς αὐτῶν προαιρέσεις ἐκτὸς τάξεως ἐποιοῦντο τὴν μάχην*, „ut suus quemque impetus ferebat"); sed *benignitatem* voce denotari Graecis usquam non probabile videtur, quum desint specimina adhuc. Laudandis PHOTII et HESYCHII scholio et glossemate ipsi sua commenta refutarunt NOESSELTUS et TITTMANNUS; siquidem illi quam proposuimus tuentur significationem. Est igitur *ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ* „placitum ejus voluntatis libere ac certo de futuris disponentis" (B. DE MOOR, *Comm. P. in Marckii Comp.* II, p. 12).

Quid vero sibi velit *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ*, magis etiam dissentitur. Mire rem implicuerunt multi studiis ducti dogmaticis. Non difficilem tamen intellectu putamus, dummodo grammatica ducamur et veri studio. Notionem *electionis* tenentes (quam deinde accurate defendemus) videamus, qua ratione voces connectantur. Praep. *κατά* h. l. a WINERO (p. 221 ed. 5ae. 6am non habeo) sic explicatur: „*die nach Auswahl, in Folge einer Auswahl geschehene Vorherbestimmung.*" Non recte, opinor. Etenim quum PAULUS factam crediderit *τὴν πρόθεσιν* ab aeterno, non facile cogitatione comprehendimus tempore huic superiorem *ἐκλογήν*, neque PAULUS alias *τὴν πρόθεσιν* nexuit a *τῇ ἐκλογῇ*, tamquam causa illius. Et conjunctionem mere causalem nescio an nostra praepositio possit efficere. Melius docere videtur HUTHER (Comm. ad 1 Petri, I, 2): „*von ἐξ ist κατά so unterschieden, dass jenes einfach den Grund angiebt; diese zugleich hervorhebt, dass die That dem Grunde vollkommen entspricht.*" Optimum autem duco relinquere rationem causalem; proximeque ad veram sententiam accedere periphrasin per adjectivum, ut reddidit BENGEL: „propositum Dei electivum." Dumne plane aeques hanc formam cum illa, quippe cui propria maneat praepositionis vis. Cfr. MATTH. *Ausf. Gr. Gr.* II. 1359. KRÜGER *Gr. Sprachl.* II, 325 sq. Rem acu tetigit MEYERUS, interpres acutissimus, sententia h. m. reddita: „*die auswahlmäs-*

sige Vorsatz, d. i. der Vorsatz, welcher so gefasst würde, dass in ihm eine Auswahl getroffen ward." Sic lingua sui juris est, et egregie consulitur rerum intelligentiae. Nimirum quod *cum delectu* fit, κατ' ἐκλογήν fieri dicitur; cujus usus seriem speciminum congessit RAPHELIUS, *Annot. ex Polyb.* p. 437 sq. „quibus in locis ἐκλογή non dicitur de simplici plane absolutaque electione, quae ex solo eligentis arbitrio proficiscatur, sine ullo illius qui eligitur respectu. Quae quidem sors potius quam electio dicenda foret." RAPHEL p. 438. Recte quidem. Electionis Paulinae indoles ac ratio e POLYBIO non cognoscitur. Dummodo hoc locis Polybianis evincamus, notionem *eligendi* subesse vocabulo. Jam vero cum ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ sit Dei decretum dandae felicitatis, addito κατ' ἐκλογήν definitur ita ut non sit praestitutum concedendae beatitatis *omnibus*, sed decretum *cum delectu* factum. Spectat igitur ἡ πρόθεσις eos, quibus tum maxime eligi contigerit. Unice convenit contextae orationi haec interpretatio; flagitatur enim *decreti cum delectu facti* cogitatio exemplo e V. T. petito; quum gemellorum delegerit Deus Jacobum, qui meliore quam Esavus fortuna frueretur; et tota disputatione, quae omnis in eo sit, ut rerum eventus ad Dei administrationem referantur. Quod in rebus salutis non aliud esse potest quam *electio*.

Multae datae sunt n. dictionis explicationes minus accuratae. J. A. TURRETTINUS: „libera Dei voluntas in eo quod spectat ad unius prae altero electionem." WOLFIUS (*Cur.* ad. h. l.): „objectum circa quod propositum versatur." Qui rationem praep. κατά non satis perspexerunt. — Totam sententiam pervertunt plures. BRETSCHN.: „spontanea, libera voluntas." NOESS. „libera Dei benignitas." TITTMANN (*Opusc.* p. 616) „benignitas libera in benefaciendo." AMMON: „propositum Dei liberum, non a meritis hominum, sed a propria αὐτοπραγίᾳ pendens." Similiter HOFFMANN (*Schriftb.* I, 212). Hi omnes notiones *electionis* et *libertatis* permiscent cum maximo detrimento veri. Ineptum autem esse, „quia in eligendo sit

basis libertatis" (TITTM.), idcirco ἐκλογὴν reddere *libertatem*, jam supra vidimus. Longius etiam, si fieri possit, ab Apostoli ét verbis ét mente recessit DÄHNE (*Entwickel. des paul. Lehrbegr.* (1835) § 6 : 4. § 10 : 3. § 14), et qui totus ex eo pendet Rev. P. C. HAUSTEDT (*Entw. der Prädestinationslehre nach dem Ap. Paulus*; commentatione inserta operi semestri, procurato per V. Cl. PELT, *Theol. Mitarbeiten*, ad. ann. 1838, *Part.* III, p. 1 sqq.), quorum sententiam infra pluribus referre et refellere juvabit. Formulam ἡ κατ' ἐκλ. πρόθεσις interpretantur Dei actum, quo prae aliis conditionibus elegerit *fidem*, quae salutis via sit et causa media, quam qui amplectantur, vitae beatae participes reddantur. Ne uno quidem verbo Apostolum significasse hanc electionem, monebimus infra, et constanter PAULO *homines* eligi dici. Nunc moneo, nullo modo dictione nostra illam posse designari electionem fictitiam Daehnianam; nec facile perspici, qua ratione possit Isaacidarum exemplo adumbrari talis electio; ne tum quidem, ubi librum DAEHNII et disputationem HAUSTEDTII perlegeris. — J. T. BECK, in libello: *Versuch einer pneumatisch hermeneutischen Entwicklung des* 9 *Kap. im Br. an die Römer Stuttg.* 1833, hanc quoque dictionem interpretatur. BECKIUS hermeneutes est adeo *pneumaticus*, ut grammatico arduum sit enarrationes ejus explicare, et tot commenta sibique privas opinionum ineptias PAULO adjudicavit, ut vix quisquam magis vexarit eum. En ipsa viri verba p. 38: „*Im Kreise des göttlichen Gnadenwirkens ist unter der πρόθεσις zu verstehen der der zeitlichen Durchbildung der ἐκλογή zur Norm dienende und ihre einzelne Entwicklung nach allen ihren Theilen durchdringende Grundentwurf;..... die mit lebendiger Bestimmtheit und Bindekraft durch die geschichtliche Offenbarungsentwicklung sich ziehende göttliche Normal-Idee.*" Memorasse haec sat est. Omnium optime in BECKIUM convenit quod aliis exprobavit ipse l. l. p. 75. „*Aber Systems-Zwang galt hier wieder mehr, als—ein einfältiges Auge.*"

Tandem mentio facienda est sententiae, qua ἡ ἐκλογὴ pertinere statuitur ad universos populos; ita ut electio fiat gen-

tium quibus primis denuncietur Evangelium, cum non omnibus simul possit innotescere. Post alios doct. POELMAN *τὴν κατ' ἐκλογὴν πρόθεσιν τοῦ θεοῦ* interpretatus est: „Evangelii propagandi rationem, quae a sola Dei pendeat voluntate." (in l. c. p. 20). Nulla ex parte verum tangere videtur haec sententia, nisi si intelligentiae communi probari habeatur veritas exegetica. — Pugnat contra POELM. historia. Toti populo Israëlis denunciatum erat Evangelium, iisque primis; et tamen Rom. IX inquirit Apostolus de causis, cur fidem non habeant Christo ipsorum plurimi, nullo verbo vero utrum Evangelium denunciatum esset. Ipsos Israelitas discriminat P. toto capite et X, 16, 18. XI, 5, 7, ita ut in dubium vocari non possit quin de singulorum electione e populo Israelitico cogitaverit et scripserit. Nusquam talem *electionem* docuit PAULUS; contra, populum Judaeum non rejectum esse qua talem XI, 1, quum singuli ex eo ad Christi professionem sint adducti; neque aliter de ethnicis rem se haberi. Cfr. REICHE: *Versuch einer ausf. Erkl. d. Br. a. d. Römer* II, p. 296. — Ceterum, infra haec sententia ad totius cap. IX argumentum religiose perpendenda est.

Jam consideremus locos Cap. XI Ep. ad Rom. — vrs. 5: *κατ' ἐκλογὴν χάριτος*. Dictionem reddit BRETSCHN. (*Lex.* s. v.): *secundum electionem Dei sive vocationem benignam*. Jam continuo expellimus vocem *vocationem*. Namque, in Dogmatica licet *τὸ καλεῖν* non intersit *τοῦ ἐκλέγεσθαι*, decet Lexicographum bene distinguere quae quamvis exiguam habeant differentiam. — Deinde non recte expressit V. D. Genit. *χάριτος*, cujus simplicissima ratio ac ultro sese offerens non deserenda est. Est Genitivus subj. ita ut sit delectus, quem habuit gratia divina. RUECKERTUS: *„die von der göttlichen Gnade getroffene Erwählung"* (*Comm. ü. den. Br. P. an die Römer*, ed. 2ae, II, p. 116). Haec verborum vis non integra redditur adjectivo. Tum *benignitate* non exprimitur *χάρις*. Quare THOLUCKIUS al. explicuerunt: *gratuitus delectus*. Melius aliquantulum, quamquam non recte. Nimirum ut gratuitus sit talis gratiae delectus, quin benevolus, benignus, non recte VV. DD. grammaticam

formulae vim detrectarunt. Hoc quoque loco fuerunt qui pro *delectus* substituerent notiones *benevolentiae* vel *libertatis*, opinione nisi, neque aliis argumentis ducti, quam ipsis his locis, qui attenuantur, ut opinio valeat, ac vi sua prorsus destituuntur. Ut in optimo quoque scriptore grammatica explicatio maxime adjuvatur et confirmatur contexta oratione, sic nostra interpretatio sola convenire videtur sententiarum perpetuitati. Memoraverat Apostolus oraculum a Deo editum, quum querebatur Elia se unum esse e populo Israëlitico, qui coleret Deum. Oraculum erat, Deum sibi reliqua fecisse millia VII cultorum sincerorum (*κατέλιπον ἐμαυτῷ*). Sic hoc quoque tempore reliquiae sunt (*λεῖμμα*) secundum gratiae delectum, nempe paucitas Judaeorum, quae Christo fidem habuit. Ut ELIAE tempore ipse sibi reliquum fecit catervam piorum, ita aetate PAULI sibi delegit sanctum numerum, qui essent regni Messiae socii, qua re tunc cernebantur veri Israëlitae, sinceri Dei cultores. *Delectum* urgeri ab Apostolo, quis non videt? *Gratiae* delectum dicit, quia omnia beneficia Deo accepta solebat referre, ac gratiae divinae donum celebrare salutem Christi. Causa sic redditur, quare remanserit *λεῖμμα*: non propter ipsorum probitatem, sed ex delectu gratiae. — Videmus egregie sic cohaerere orationem, probarique hanc enarrationem ab omni parte. Simul jubemur ad Dogmaticorum remittere opiniones praejudicatas quaecumque sententiae arrodant et attenuant vocis *ἐκλογή* notionem *electionis*.

Rom. XI, 7. denuo legitur *ἐκλογή*. Sine dubio legendum est in hac sectione *τοῦτο* et ELZ. *τούτου* rejiciendum. Illud optimorum codicum auctoritate fulcitur, ac probatur doctissimo cuique criticorum. — De verborum structura duae potissimum feruntur sententiae, altera BRETSCHNEIDERI, altera omnium fere ceterorum Interpretum. Legitur l. c. *τι οὖν; ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ, τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν· οἱ λοιποὶ ἐπωρώθησαν.* — BRETSCHN. (*Lex.* s. vv. *ἐκλογή* et *ἐπιτυγχάνω*) locum sic disposuit: *τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν* (sc. *αὐτοῖς* s. *αὐτῷ*), *ἡ δὲ ἐκλ. ἐπ.* sc. *αὐτοῖς* i. e. „quod Israëlitae quaesiverunt sc. per

legis observantiam gratiam Dei consequi, id non contigit iis; attamen *ἐκλογή* iis contigit." Controversia est de verbo *ἐπιτυγχάνειν*. BRETSCHN. nullo specimine suam verbi explicationem probavit, nec defuerunt, qui negarent sic dici posse: *ἐτιτυγχάνει τινί τι*. RUECK. in l. l. II, p. 119: „*τοῦτό μοι ἐντυγχάνει* (leg. *ἐπιτυγχάνει*) *ist eine absolut unmögliche Redeweise für den Griechen.*" Negavit et FRITZSCHIUS II, 450, in eo tamen ipse a se dissentiens, quod, quum Attici haud raro dixerint *τυγχάνειν τι*, *rem consequi*, non dubitat, quin seriores scriptores *ἐπιτυγχάνειν* eodem sensu usurpaverint, idem vero contra BRETSCHN. contendit, non dixisse Graecos *ἐπιτυγχάνει τινί τι*, *evenit res alicui*, sicut *τυγχάνει τινί τι* usurpaverint. Sed ne hoc quidem recte dixit vir egregius, quum reliquerit locum ANTON. LIBER. (Sec. II post Chr. n.) c. 41: *αὐτῷ οὐδὲν ἐπέτυχε τῶν πρὸς θήραν*, ubi significat formula: *evenit res alicui*, *contingit mihi aliquid*. Hujus loci si memores fuissent, non a posteriore Graecitate abjudicassent structuram jam analogia commendatam. — Altera interpretatione *τοῦτο* objectum est verbi *τυγχάνειν*; prioris enunciati membri subjectum est *Israël*, alterius *ἡ ἐκλογή*. Quae vox, ut in omni lingua vocc. abstracta saepe denotant rem concretam, erit pro: *οἱ ἐκλεκτοί*. Exempla congessit FRITZSCHE II, 451. Ceterum recte dici *ἐπιτυγχάνειν τι* docent WETST. RUECK. FRITZSCHE a. l. — Quamquam autem per verba utramque licere putamus interpretationem, non tamen eodem loco habendae sunt. Hoc uno praestare videtur BRETSCHN. explicatio, quod non aliter ac vrs. 5°, exponitur vox *ἐκλογή*, si quidem mirum posset cui videri ejusdem verbi in proximo variatum usum. Sed graviora *contra* hanc sententiam habemus haec: *Primum* intolerabilem existimo ellipseos duritiem, quam finxit BRETSCHN., cujus similem desidero in scriptis Paulinis, non perfecta alioquin oratione confectis, neque conspicuis absolutis conversionibus. Vulgata interpretatio nihil habet incompositi. *Deinde* ineptissima prodit sententia: „quam valde cupiebant *δικαιοσύνη* iis non contigit, sed electio iis contigit." Non opponuntur *δικαιοσύνη* et *ele-*

ctio; per hanc conceditur illa (Rom. VIII, 28 sqq.). Immo ardenter cupiit Israël hanc integritatem, quam soli electi consecuti sunt, acquirendam illam per fidem. Vides *electos* nuncupari quicunque per fidem Christo habitam δικαιοσύνην nacti sint. *Tum* plane redarguunt virum erud. quae sequuntur verba: οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν. Quinam quaeso? quum, ubi de τοῖς λοιποῖς sermo est, cetera requiratur pars. Necesse est τὴν ἐκλογὴν opponi τοῖς λοιποῖς. *Electis* evenit δικαιοσύνη, regni Messiani factis sociis, *ceteri*, non electi, indurati sunt, salutem Christi non consecuti. Hoc modo oratio fit clara et composita nullique voci infertur injuria. Contra, quam monstruose et inconsiderate reddit locum BRETSCHN. (*Handb. der Dogm.* etc. ed. 3ae II, p. 131 sq.); „*sie sind zwar alle zum Christenthume berufen worden, aber nur wenige sind dem Rufe gefolgt, die übrigen blieben unempfindlich, verhärteten sich.*" *Denique* reprobatur BRETSCHN. ratio consilio Apostoli. Ab ingressione cap. XI hoc agit PAULUS, ut, licet longe major pars gentis Israëliticae rejecta esset, non tamen suum populum rejecisse Deum evincat; quum remanserint reliquiae, qui adepta δικαιοσύνη absolverentur coram Deo. Manet in hoc quod explicuerat IX, 6 sqq., Deum non universae genti, sed delectis tantum praestituisse salutem. Delectus Israël perductus est ad Christum, integritatem adeptus est; quo electos esse cognovit PAULUS. Et vero subsecuta disputatio nititur facto discrimine Judaeorum. Quo sublato tota haec insana est; etsi quî elidetur quae subest sequentibus notio *electionis*? — Non dubitabit, opinor, intelligentior interpres, quin maxime valeat h. l. notio *electionis*; quod probare volui.

Rom. XI, 28. De hoc loco prolixe disputandi copiam facimus aliis, quum nostrae rei non prosit. Unum hoc monemus, quavis ratione locum difficilem explices, τὴν ἐκλογὴν esse *electionem* patrum gentis Israëlis.

De adj. ἐκλεκτός paucis absolvam. Post dicta de verbi ἐκλέγεσθαι usu in V. T. non opus est, explicare locos Hebr.

ubi legitur h. v. Respondet Hebr. בָּחִיר (locos enumerat GESEN. Thes. I, p. 199). Praeterea vid. Sap. III, 9. IV, 15. Tob. XIII, 10. Sir. I, 15. II. Macc. I, 25. In quos locos idem valet quod de II. N. T. dicendum est. In Epp. Pauli legitur sexies, in ceteris scriptis N. F. saepius (ll. ap. BRUDER p. 298). In constituenda notione *electionis* non eo loco habendum est *adj. verb.* quo verbum ipsum et substantivum, quod actum verbi exprimit. Quamdiu illud pars est existimandum verbi, respondet Latinorum Gerundio et Gerundivo, et easdem quas verbum habet potestates. Ubi autem fit, ut merum factum sit adjectivum, subinde longius recedit a verbi significatione; et convenienter origini suae, (nempe 3 pers. sing. perfecti in μαι), denotat id quod verbo efficitur vel effectum est. Quod rite observetur, ne forte e significatione adj. verb. concludatur temere. Quamquam autem voci ἐκλεκτός prima significatio est: qui electus est e pluribus; sic tulit usus, ut haud raro haec paululum recederet, et potius referretur ad statum qui ex eligendo exstiterit, vel alia ratione cum *electione* habeat necessitudinem. Caveamus autem ne, quia ἐκλεκτός possit esse: *carus*, *eximius*, *probus*, quum optimum vulgo eligatur, vel carus sit et probus qui electus sit, ne idcirco *diligendi* notionem verbo ἐκλέγεσθαι attribuamus. — Loci Paulini hi sunt: Rom. XVI, 13. Significare videtur h. l. idem quod Lat. *eximius*, *egregius*. Ita non amplius respicitur ipsa *electio*, verum id quod quis jam est per electionem, vel ob quod electus est. 1 Tim. V, 21, ἄγγελοι ἐκλεκτοί probabiliter dicuntur angeli qui a Deo sunt delecti, ut sint ei prae ceteris cari. 2 Tim. II, 10. et Tit. I, 1, Christiani dicuntur ἐκλεκτοί; quamquam contextus nihil suadet, rectum vidisse puto HUTHERUM (*Comm. ad l. Tim.*), ideo appellari ἐκλεκτους, „*sofern der tiefste Grund ihres Glaubens die freie Erwählung Gottes ist.*" Vid. idem ad 1 Petr. II, 4. — Videmus non multum ll. cc. conferre ad notionem definiendam, utpote expertes subtilitatis dogmaticae. Melioris usus sunt Col. III, 12. et Rom. VIII, 33. Illic post generaliorem hortationem P. admonet Colossenses ut

colant virtutes Christianas; ad quam rem adjuturus Christianos, summam Dei gratiam erga ipsos commemorat, eo conspicuam quod sint ἐκλεκτοί etc. Saepius s. S. divinum amorem gratiamque nobis proponit tanquam exemplum et incitamentum virtutis. Quicumque sibi conscius est, quanta se benevolentia sit prosecutus Deus, incitetur necesse est ad Deum hominesque summo complectendos amore. — Bene BENGEL et MEYER subjecti loco habent ἐκλεκτοί, cujus epitheta sunt ἅγιοι et ἀγαπητοί. Est θεοῦ gen. subj. τοῦ ἐκλεκτοί, *electi Dei* i. e. a Deo electi, et eatenus sunt ἀγαπητοί et ἅγιοι. Reputetur hoc BENGELII a. l.: „ordo verborum exquisite respondet ordini rerum; *electio* aeterna praecedit *sanctificationem* in tempore: sanctificati sentiunt *amorem* et deinceps imitantur." Frustra conatur THOLUCCIUS (*Comm.. ad Rom.* p. 467) aliique notionem extrudere *electionis* et substituere *amoris divini*. Nam aut nihil dixit Apostolus et inania verba scripsit — cfr. praeterea inepta tautologia — aut subest quam diximus notio. *Electio* enim et *dilectio unius prae altero* fere eodem redeunt. Et vero egregie ad virtutem colendam adjuvantur qui cognitum habent, sibi prae ceteris boni quid obtigisse, praecipue salutem regni Messiae sibi concessam et amoris divini documentum eximium. Recte BÄHR ad h. l. „*Die Beziehung auf den göttlichen Rathschluss der Erwählung lässt sich nicht ohne der Apostolischen Lehre zunahe zu treten, auf die Seite schieben.*"

Rom VIII, 33. Est continuatio loci, quem alibi enarramus. Gratulatur P. Christianis quod nemo iis possit nocere. Qua in re eos vocat ἐκλεκτοὺς θεοῦ; h. m. Quis crimina proferat contra eos, quos sibi peculium ac populum elegerit Deus. „Ita PAULUS pios Christianos de industria vocat, ut neminem eos cum eventu accusaturum esse hac appellatione indicet. Nam qui homines a Deo delectos criminabitur, Deum oppugnabit qui eos delegit" (FRITZSCHE II, 212). Et ipsa vocis significatio ét orationis cohaerentia ét vrs. 33i vis ac gravitas flagitant ut sui juris sit vox, et nihil aliud denotet quam *electionem*, qualem vides expositam et alibi et cum pri-

mis Eph. I, 4 sqq. — Concludat hanc disputationem monitum viri praeclari ED REUSS (*Hist. de la Théol. Chrét. au siècle Apost.* II, p, 133 sq): „*Les Chrétiens sont appellés ἐκλεκτοί, les élus, non par forme d'assertion historique, non qu'ils soient une classe ou une société de gens remarquablement vertueux, mais par forme d'assertion dogmatique, pour exprimer qu'ils doivent à la grâce divine leur privilège d'appartenir à l'Eglise.*"

Ex iis quae diximus satis efficitur generalior *electionis* Paulinae notio, et cui verum scire est cordi, is dubitare non potest, quin P. docuerit *hominum delectum ad salutem regni Messiae*, utcumque ceterum de hujus causis judicetur vel ejus interior informetur notio. Ut verum hoc sit et sponte se offerat libere explicanti verba Apostoli, tamen conati sunt multi rem invertere. Sic jam pridem fuerunt, qui „voluntatem Dei de servandis credituris et in fide fideique obedientia perseveraturis esse totum et integrum electionis ad salutem decretum" opinarentur (*Rej. Err. ed.* cl. VINKE p. 411). Quam sententiam oppugnavit cl. H. WITSIUS (in l. l. p. 298) contendendo „non convenire cum Dei perfectione generalia et indeterminata decreta ei adscribere quae determinationem et certitudinem aliquam ab hominibus acciperent." Multis licet non improbabiliter dicta haec esse videantur, tamen ne in hac re indulgeamus qualibuscunque ratiunculis dogmaticis, haec relinquimus. Provocamus autem ad locos enarratos, quibus reprobetur opinio. Hanc sententiam abunde refutarunt proavi nostri (vid. etiam apud AL. SCHWEIZER, *Die Glaubenslehre der ev. ref. Kirche.* II, p. 200 sq.) ad quorum libros lectorem remittimus, valere jussa sententia a PAULO alienissima dicto scito WITSII ad Luc. X, 20 (vid. l. l. III, 4, 10): „quod sane longe majus est, quam si generatim dixisset: „Gaudete quia Deus aeterno decreto sancivit, se omnes fideles beaturum coelo, licet de vobis nominatim nihil cogitaverit. Quo modo ex sententia adversariorum haec verba exponenda essent."

Pluribus agendum est de alia sententia illi cognata, quam iidem Theologi Dordr. rejecerunt. (VINKE *Libr. Symb.* p. 412):

„Qui docent „„Dei beneplacitum ac propositum, cujus scriptura meminit in doctrina electionis, non consistere in eo quod Deus certos quosdam homines prae aliis elegerit, sed in eo quod Deus ex omnibus possibilibus conditionibus (inter quas etiam sunt opera legis) sive ex omnium rerum ordine actum fidei, in sese ignobilem, et obedientiam fidei imperfectam in salutis conditionem elegerit eamque gratiose pro perfecta obedientia reputare, et vitae aeternae praemio dignam censere voluerit."" — Non dignam censeremus hanc sententiam mentione et refutatione quippe dudum explosam; nisi nacta esset novum defensorem acerrimum Doct. AUG. FR. DÄHNE (in libro: *Entwickelung des paulinischen Lehrbegriffs. Halle* 1835), cujus librum multi hodie magni faciunt, quin anteferunt Usteriano, quocum conferri non debucrat. — Explicat sententiam suam auctor § 10, p. 76 sqq. h. m.: omnes homines peccatis suis perdiderunt beatitatem quae salva justitia divina iis non poterat retribui, nisi si respondissent peccatores conditioni a Deo positae. Legis observatione reparari non poterat integritas beatitasque. Quare, ut divinus amor cum justitia reconciliaretur, novam conditionem proposuit Deus, cui satisfaceret homo. Talis haec est ut non merito debeatur salus, quum non potuerint nec possint hodieque mereri eam; sed ut per illam dignum se reddere possit homo cui Deus impertiatur gratiam suam. *Fidem* elegit Deus non hominum permotus probitate vel alia quacumque causa praeter sui ipsius liberrimam voluntatem, et grato animo accipiat oportet peccator conditionem nulla dignus. Hanc doctrinam reperisse sibi visus est DÄHNIUS Rom. IX, 6 sqq. Exorsus ab illa doctrina eaque nisus quam neque l. ad Rom. nec alio loco Paulino vel uno verbo significatam deprehendas, conformat auctor praedestinationem Paulinam praefinitque, quatenus *electionem hominum* docere *potuerit* Apostolus. De hac re egit § 14, p. 163 sqq. Si quaeras, quo tandem factum sit, ut V. D. opinionem proposuerit et mirum quam acriter propugnaverit, qua vaniorem ac ineptiorem cognoveris nullam: en causa!

„*Eine Lehre* (electio), *gegen welche sich wahrhaftig Alles sträubt, unser religiöses Gefühl, unsre klare Ueberzeugung* (!), *ja, das ganze Christenthum in seiner Existenz!*" (p. 165): Non tali auxilio! — Intima tua persuasio, mens pia ac religio maximi faciendae, tantum quod non recludunt Theologo historico occulta. Quid scripserit auctor aliquis, quid cogitaverit, id sola grammatica duce evincitur. Exspectamus illum diem quem vaticinatus est magnus GODOFR. HERMANNUS.

Quum ceterae quas refellere studemus opiniones certe specie auctorem habere videantur PAULUM, nonnullaeque haud levi opera repellantur, DAEHNII sententia ne uno quidem verbo Apostoli sustinetur: videtur DAEHNIUS hanc doctrinam ei adjudicasse „quod ita sit informatum anticipatumque suae ipsius menti." — Infra videbimus, quam temere V. D. Cap. IX° ad Roman. obtruderit suam opinionem: longe aliam rem cognoscemus illic; quoniam autem huic disputationi praecipue injunxit sua commenta DÄHNE, et posthac copia nobis fiet dicendi de illa, nunc brevi praecidam — Universe illae opiniones difficillimae sunt refutatu quae nulla parte verum tangunt. Optime redarguas proponendo meliora, relicta opera lectori reprobandi quae fictitia sint. Ne autem magnifice operae difficultatem videamur subterfugere addimus haec: Nullo loco *electio* a PAULO describitur vel significatur ut determinatio certae alicujus conditionis per quam et sine qua non obtineatur salus (vid. WITSIUS l. l.); nusquam *fides* a Deo *delecta* esse dicitur; contra ubicumque de *electione* sermo est, feruntur *homines* a Deo *electi* (vid. omnes ll. explanati); Rom. VIII, 29, 30 legimus: *οὓς προέγνω κ.τ.ἑ.*: *quos* etc. certae personae memorantur; non vero: *quales, tales*, vel ita ut ad designationem conditionis alicujus referri queat. — Ad illud consilium quo decreverit Deus proposita nova salutis conditione servare omnes qui fidem habuerint Christo, — quod liberum atque independens erat — referuntur a DAEHNIO *ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ, ἡ ἰδία πρόθεσις, ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, ἡ εὐδοκία τοῦ θελήματος, ἡ βουλὴ τοῦ θελήματος*. Quam con-

torte, quam violenter, locis singulis demonstare conamur. Quos si quis rite excusserit, haud gravabitur opinionem DAEHNII remittere ad vanas ineptasque nugas.

Absolvimus hanc de *electione* disputationem monendo de discrimine electionis in V. T. et in N. — Et vox et notio e Judaica disciplina ad Christianam PAULI translata est; et quidem ita translata, ut quum Israëlitarum delectus valuerit ut Deo fierent quam maxime consecratus populus, quem summe diligeret maximisque ornaret beneficiis; PAULO sit electio ad salutem Christi, *electos* autem *ad Christum*, ut olim Israëlitas, summo amore complectatur Deus, etsi PAULUS minime confuderit *delectus* et *dilectionis* notiones. Cfr. FRITZSCHE *ad Rom.* II, p. 212. — Maxima differentia in eo sita est, quod illic singulorum hominum electio ignota erat, siquidem tota gens Israëlis electa erat, nec quisquam Jacobi posterorum ab hereditate electionis exclusus; in N. autem Foedere res inversa est. Populorum ac gentium nulla habetur ratio in adsciscendis regni Messiae sociis, sed undique colliguntur, qui fidem habeant Christo ac constituant novam societatem. Sic N. T. electionem esse *electionem* non *gentium*, sed *singulorum hominum* (*individuën*) res ipsa loquitur. Cfr. LUTZ. *Bibl. Dogmatik* p. 201.

CAP. III.

DE VOCIBUS *καλεῖν κλῆσις, κλητός.*

Indagaturi et explicaturi significationem verbi *καλεῖν* in doctrina Paulina, iterum monemus technicarum q. d. vocum interpretationem ex ipso auctore quaerendam esse; et vero nostri verbi et vocum conjugatarum tam frequens est usus in epistolis PAULI, ut confugere non cogamur ad alia scripta N. T., quo saepe factum est ut haud parvam jacturam faceret veri investigatio. In hac frequentia nos illos tantum locos attingere perspicitur, qui cum doctrina electionis habeant

conjunctionem; quum eodem jure in aliis argumentis possit usurpari verbum quavis alia legitima significatione, quemadmodum in ceteris N. T. libris factum esse et etiam apud PAULUM subinde deprehenditur.

Verbum ipsum et cognata *κλῆσις*, *κλητός* nullam molestiam habet. Utuntur iis Graeci de vocatione ad convivium. Sic saepius in *Odyssea*, et alibi e. c. XEN. *Symp.* 1, 7. PLAT. *Symp.* p. 174 D. Quod, si ad rem Christianam transfertur, significare videtur: *vocationem*, *invitationem* ad sacra Christi, quam Deus administrat missis qui Evangelium exponerent iis quos *καλεῖν* Deo visum sit. Hanc interpretationem acriter defendit FRITZSCHE *ad Rom.* II, p. 195 sq. p. 204 sq.; qua in sententia defendenda viri admirabilem perspicaciam ac constantiam desideramus. Longe plerique autem Interpretes (RUECK., V. HENG., USTERI, DE WETTE, MEYER, REUSS al.) plus tribuunt vocibus, et *κλητοῖς* interpretantur „eos qui divinae invitationi obtemperaverunt," et *καλεῖν* „actum Dei quo adducit ad coetum Christianum", *κλῆσιν* „vocationem efficacem". Quam temere „vanam opinionem" nuncupasse videtur FRITZSCHIUS. — Antequam ad accuratam locorum huc pertinentium expositionem accedimus, quo de dubiis certiores fiamus, praemittimus leviora quaedam monita de rebus sine longiore disputatione efficiendis.

Constanter PAULUS ad Deum refert *τὸ καλεῖν*. Rom. VIII, 30. IX, 24. 1 Cor. I, 9. 1 Thess. II, 12. 2 Thess. II, 14. 2 Tim. I, 9. Uno loco ubi hoc non obtinere videri possit Rom. I, 6, *κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ* sine dubio recte explicatur a BEZA, FRITZSCHIO, V. HENGELO, WINERO, p. 223. al.: *homines divinitus invitati, qui Jesu Christi sitis.* Cfr. Philem. 9. Itaque Christus non dici potest *καλέσαι* homines quum vocabat ad regnum suum, neque Apostoli, quum praedicatione sua homines invitabant ad regnum coelorum. —

Porro: sermone Paulino *κλητοί* sunt qui Evangelium acceperunt, ad religionem Christianam adducti, Christiani; „est hoc veluti nomen proprium Christianorum" TITTMANN (*Opusc.* p. 285). Minime hac appellatione insigniuntur omnes ad quos defertur

Evangelium. Satis inconsiderate DAEHNIUS l. l. p. 166 et POELMAN (*de Praed.* p. 20) κλητούς appellari opinati sunt „omnes sive invitationem ad salutem sequantur, sive rejiciant, modo ad eos perveniat notitia Evangelii." Nullum exstat exemplum hujus usus apud PAULUM. Sic etiam impii, infideles, quin ipsi Christi interfectores κλητοί forent. Quod absurdissimum esse ducat necesse est quicumque sermonem PAULI cognoverit. — Sanius J. A. TURRETTINUS *ad Rom.* p. 294: „juxta stylum Apostolorum κλητοί sunt, qui divinae vocationi obtemperaverunt, verbo Christiani"; et CLEM. ALEX. *Strom.* I, p. 314 (ed Par. 1641): πάντων ἀνθρώπων κεκλημένων οἱ ὑπακοῦσαι βουληθέντες κλητοὶ ὠνομάσθησαν (locum legi ap. MEYERUM ad 1 Cor. I, 24. et cl. SCHOLTEN, *Leer d. H. K.* ed 3. II, 86), Unum locum memoramus, quo ambiguitas tollitur omnis, I Cor. I, 24. Hîc οἱ κλητοί opponuntur illis, qui Christum rejiciebant, et Judaeis et Gentibus: Ἰουδαίοις μὲν σκάνδαλον, ἔθνεσι(ν) δὲ μωρίαν, quibus igitur Evangelium per praedicationem innotuisse necesse est. Vrs. 18 illi dicuntur ἀπολλύμενοι; οἱ κλητοί vero: οἱ σωζόμενοι, vrs. 21: οἱ πιστεύοντες.

Denique animadvertatur usus loquendi differentia PAULI et JESU in adagio Matth. XXII, 14, quam agnovit quoque Doct. T. MODDERMAN. (*Thesi XV*[a] post *Spec. Acad.* V. D. 1843). Opponuntur a Jesu οἱ ἐκλεκτοὶ τοῖς κλητοῖς, vel potius sic composita est loci ratio, ut horum sint delecta pars illi. Quare κλητοί esse videntur plurimi illi promiscue ad quos perlatus sit Evangelii nuncius; ἐκλεκτοί autem de his qui, eximiae pietatis homines, Deo accepti sunt et aeterna beatitate donandi. Vid. USTERI *Entwick. d. Paul. Lehrbegriffes*, ed. 6[ae], p. 280. REICHE I, p. 122. LUTZ. *B. Dogm.* p. 204. — De sententia hujus loci egregie exposuit *vocationem* SCHLEIERMACHER, *Chr. Gl.* § 116 (II, p. 243 sqq.). Dumne Paulina existimetur haec sententia. Jam perspicitur discrimen e paucis, quae de usu Paulino diximus; pluraque etiam depromturi sumus de hac re e scriptis Apostoli. — Utraque sententia sit sui juris.

Sed haec hactenus. Nunc graviora videamus; nam propositio hujus capitis non absolvitur dictis, vercorque ut probata adj. κλητός significatione cuiquam probarim, verbi καλεῖν esse propriam notionem adducendi ad salutem Christianam. Etenim fieri potest ut adjectivo designetur aliquid, quod haud proprium sit verbo, e. g. id quod verbo effectum sit; ut redditur vocis ratio a Cl. v. HENGEL: „*het* (adj. κλητός) *komt daarin met andere adj. verbalia overeen, dat het niet voorstelt, wat er van Gods kant met menschen gebeurd is, maar wat zij van hunne zijde nu werkelijk zijn*" (*Godgel. Bijdr.* 1855, 1, p. 19). — Quamobrem, ut ad persuadendum sit composita disputatio, ex usu fore apparet locis enarratis PAULI usum ipsius verbi καλεῖν et vocis κλῆσις indagare. Incipiat locorum seriem Rom. VIII, 28 sqq. ob singularem hinc prodeuntem usum in rem nostram.

Rom. VIII, 28, 29, 30. Consolatur Apostolus Christianos de praesentis temporis malis vrs. 18 sqq. Instare nobis δόξαν jam ex eo patet „quod rerum natura nunc quidem in Infirmitatis et Interitus servitutem redacta divino decreto tum in libertatem vindicanda et in integrum restituenda est, quum nos illa beatitate potiti fuerimus" (FRITZSCHE) (19—21). Ipsi nos ingemiscimus, quum exspectemus adoptionem (vrs. 23) quam speramus olim recipiendam (vrs. 24). Opitulatur et nobis insuper (praeter exspectationem illam) imbecillis Spiritus S, ipse causam agens nostram coram Deo στεναγμοῖς ἀλαλήτοις, „mutis suspiriis", quando nesciamus, quaenam preces sint adhibendae Deo (vrs. 26); quae suspiria intelligit ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας. His (certissimae spei felicitatis et Spiritus auxilio) tertium addit PAULUS, nec exiguum illud et inane, vrs. 28 (DE WETTE, *K. Erkl.* p. 119: „*ein neuer aus dem Christlichen Bewusstseyn geschöpfter Beweggrund zu jener ὑπομονή*"). Egregium enim calamitatum fortunaeque durioris Christianis solatium in eo positum est, ut τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν vel acerbissimos casus emolumento sciant esse. Quod placitum ut explicet scriptor et firmet, sibi praesidia quaerit in divino decreto cui obstent

nulla quodque nulla vitae sorsq uamvis atrocissima possit evertere vel labefactare. (vid. DE WETTE et GLÖCKLER). Jam vero inde a vrs. 28 singulatim consideremus verba ac res.

LACHM. in textum recepit *ὁ θεός* auct. A. B. ORIG., quod sit subjectum verbi *συνεργεῖν*. Tametsi gravi auctoritate nititur lectio, et omnino dici potest *συνεργεῖν τινί τι* (vid. FRITZSCHE a. l.), tamen plura obstant quae videas apud eundem V. D. II, 193. Gravissimum est, sic male orationem procedere. Nam locus de divina Spiritus clientela absolvitur vrs. 26, 27. Manifeste vrs. 28 novum solatium exhibetur, ductum illud a consilio divino de piis quod nequeat destitui. *τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν*. Perperam videntur nonnulli Interpretes notionem *amoris* erga Deum cum maxime ursisse. Ne praevalet quidem haec. Melius CALVINUS: „pietatis summam sub dilectione complexus est." (ad h. l.) Dicuntur *Dei amantes* אֹהֲבֵי יְהוָה Ps. XCVII, 10 (LXX *οἱ ἀγαπῶντες τὸν κύριον*) quicumque cum affectu, tum obsequio prosequuntur Deum, sive veri ac sinceri Dei cultores. Quum vero persuasum esset PAULO veros amicos Dei, veros Israelitas, agnoscere fideque amplecti Christum et amore; ceteros haberet impiorum loco (*ἐχθροὶ (τοῦ θεοῦ)*. Rom. V, 10. Col. I, 21): appellatione *ἀγ. τ. θεόν* designavit eos, qui Christo credunt. Fide habita Christo praeclarum documentum dederant animi obsequentis Deo. 1 Cor. II, 9, salutem Messianam, omnium bonorum excelsissimum, parasse (*ἑτοιμάσαι*) dicitur Deus *τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν*, veris Dei cultoribus, qui Christo fidem haberent. cfr. Jac. I, 12. — Eph. VI, 24 Christiani dicuntur *οἱ ἀγαπῶντες τὸν κύριον ἡμῶν I. Χρ. ἐν ἀφθαρσίᾳ*. Cfr. 2 Tim. IV, 8. et FRITZSCHE, *Sendschr. an Tholuck* p. 18. — Quoniam autem inepte scripsisse censendus est Apostolus, nisi haec quae praedicantur solis Dei amantibus contingunt, contineat necesse est formula antithesin *Deum non diligentium*; de sententia PAULI: Judaeorum et Ethnicorum a Christo alienorum. — Illis *πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν*, nulla non res, etiam calamitates. A consilio PAULI et contextu absona est ratio AUGUSTINI: „Ele-

ctis omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata, nimirum non ex natura sua, sed ex Dei virtute et sapientia." *De corrept. et gratia* c. 19, 24.

Jam quorsum adjecit scriptor *τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν*? Appositionem complecti verba jure consentiunt omnes. Qualis autem sit appositio, quam vim habeat, non item constat inter Explicatores. Vel censent apposita esse verba explicandi vel limitandi causa, ita ut, quosnam illorum designet Apostolus, explicetur (RÜCKERT): sic vero secernit interpres quae non disjunxit PAULUS, cum nusquam de *τοῖς ἀγαπῶσι τ. θ.* exceperit unum; — vel fingunt Apostolum sane loquaciter inepteque nihil novi dixisse, sed externam formam extulisse *τοῦ ἀγ. τ. θ.* (REICHE); — vel *causalem* existimant appositionem, ita ut causam contineat, propter quam piis Christianis tristes casus prosint (GLÖCKL., FRITZSCHE, MEYER, DE WETTE; BENGEL: „in *vocatis* denotatur causa, cur huic subjecto tam lautum praedicatum tribuatur)." Haec sententia grammatica et contexta oratione reprobari nobis videtur. Proximumest ut probemus; quod eo magis desideratur, quo aegrius feras neminem unum interpretum de industria hanc attendisse quaestionem.

Ut hîc proponitur appositio dubito an simpliciter continere possit enunciati principalis *causam*. Fortasse obtinere potest ubi relinquitur articulus, (cfr. LÜNEMANN *ad Thessal.* p. 61), quamquam plerumque sic *conditionem* denotat, nec laxiores amant Graeci cogitatorum juncturas. Sed appositio cum articulo semper *explicandi* causa adhibetur, et quidem plerumque sic, ut hanc, quam complectatur appositum, notionem, nomini cujus *ἐξηγήσεως* gratia addatur quam maxime vel unice convenire intelligatur. Cfr. MATTH. *Ausf. Gr. Gr.* II, p. 721. BERNHARDY, *Wissensch. Syntax* p. 54 Laudo e plurimis locis Rom. VIII, 4 (ubi indoles describitur *τοῦ ἡμῖν*). Eph. I, 12. 1 Thess. I, 10. IV, 5. 2 Tim. IV, 8 (*ὁ δίκαιος κρίτης*). Cfr. SOPH. *Oed. R.* 1348. sq. cl. 1407 (ed WUND.) XEN. *Anab.* I, 7. THEOCR. *ΕΙΔ. κ'* 17 sq. *ed.* WUEST.): *φέρω δ' ὑποκάρδιον ὀργάν | ὅττί με τὸν χαρίεντα κακὰ μωμήσαθ'*

ἑταίρα. Itaque semper videtur appositum *illustrare* dictionem vel vocabulum cui apponitur; vel peculiarem proferendo attributionem, vel reducendo animum ad id, quod quam maxime attendi vult scriptor, et dictis jam etsi occultius continebatur. — Nullum omnino locum attulerunt DE WETTE, MEYER, FRITZSCHE, qua suam interpretationem defendant, praeter unum Joh. XIII, 14, laudatum a FRITZSCHIO nulla addita interpretatione. Hoc autem nihil efficitur utpote qui alius sit generis, et contineat argumentationem *a majori ad minus*, quam intendat appositum. — Neque convenire videtur haec explicatio contextae orationi. Etenim tum demum percipitur sententia loci, si conjunctionem cogitatorum vrs. 31 et 32 explicari animadvertitur. Minime „causam illius benignitatis qua omnia ad emolumentum conferant τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν illigatam esse appositioni" putandum est. Non quia vocati sunt, omnia iis prosunt; sed in hac vocatione secundum propositum tam grande ac magnificum amoris divini ac benignitatis documentum conspiciebat Apostolus, ut inde vrs. 31 ad minora concludat. Ut persentiant lectores excelsitatem favoris divini quo fruebantur, redit ad aeternum Dei decretum, quo omnia summa iis tributa sint. Quod ἀγαπώντων τὸν θεόν proprium est, nempe τὸ κλητοὺς εἶναι κατὰ πρόθεσιν, sic opportune proferri apparet, unde suspendatur persuasio, cum Deus sit pro nobis, nullam rem saluti posse officere nostrae. Ex hac persuasione manarunt etiam quae sequuntur in h. c.

Ipsa verba post dicta facile intelliguntur. Absurdum foret κλητοῖς hic explicare: *invitatis*. Sunt ii qui divina vocatione adducti sunt ad Evangelium et fidem, et quam maxime ἀγαπῶντες τὸν θεόν. Refert hanc vocationem ad Dei propositum, qua de re alibi agimus. Attendamus potissimum verbum καλεῖν vrs. 29, 30. Quos praefiniverit Deus ut Filii sui referrent imaginem vocatos esse, nemini mirum, quum per κλῆσιν cognoscant Evangelium, nec nisi cognito Christo credere possint. Memorabile vero est: καὶ οὓς ἐκάλεσεν, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν. Quamquam non diserte effertur his verbis

sententia, quam aucupati sunt USTERI et RÜCKERT, neminem non, quem vocaverit Deus, δικαιοῦσθαι; certissime tamen efficitur illorum vocationem qui προωρίσθησαν κ.τ.ἑ. non contineri simplici invitatione, sed complecti quaecumque requirantur in homine ad δικαιοσύνην (DE WETTE a. l.: „*Der Act der Rechtfertigung setzt den Glauben von Seiten der Berufenen voraus, welcher also vorhin bei dem Acte der Berufung mit zu denken ist.*") Cfr. omnino cl. SCHOLTEN: *Leer d. H. K.* ed. 3. II p. 85, qui recte vertit καλεῖν: *tot het geloof toebrengen.* — Quod modo excepimus, objecerat FRITZSCHE. Ut verum illud sit, tamen haec praetermisisse videtur praecl. vir. Memoraverat Apostolus τοὺς κατὰ πρόθεσιν κλητοὺς ὄντας; qua appellatione non designantur *invitati*, sed ipso FRITZSCHIO auctore Christiani. Jam si constat ad alios non pertinere nomen hoc honorificum, non possumus non idem praedicare de verbo καλεῖν. Namque evidenter illam dictionem explicat PAULUS vrs. 29, 30. Cujus vrs. 29us reddit: κατὰ πρόθεσιν, vrs. 30: κλητοῖς οὖσιν. Hos κλητούς spectant verba, inter quae καλεῖν; quocirca hoc etiam referatur ad πρόθεσιν divinam. Concedatur ergo FRITZSCHIO de ceteris praeter τοὺς ἀγαπῶντας τὸν θεόν nihil eloqui Apostolum; at, quaeso, tunc credas in numero τῶν κλητῶν κατὰ πρόθεσιν collocaturum fuisse, qui infesto in Christum animo essent? cf. 1 Cor. I, 18, 23 sq. Eosdem non ἐκάλεσε Deus. Nisi forte PAULUS verbosius quam sententiosius verba atque ineptias fecisse censendus est, quum de his nominatim praedicaverit magnifica et eximia, quae in omnes omnino homines conveniant. Habemus igitur: κληθῆναι quicumque appellentur ab Apostolo κλητοί; hanc κλῆσιν non ad omnes pertinere qui Evangelium audierint, sed ad eos qui acceperint, ad τοὺς ἀγαπῶντας τὸν θεόν; καλεῖσθαι homines secundum Dei propositum ac voluntatem; κλῆσιν sequi δικαίωσιν et δόξαν. — Postremo laudem hoc DE WETTII, quo complectitur notionem κλήσεως Paulinae: „*es ist der zeitliche Act Gottes, durch welchen die vorzeitlich Bestimmten zur wirklichen Theilnahme am Heile gebracht werden*" (*ad Rom.* VIII, 30).

Quae hactenus cognovimus confirmantur et amplificantur aliis dictis Paulinis, quorum lineamenta adumbrare reliquum est. 1 Thess. II, 12. Hortatur Thessalonicenses Apostolus, ut vivant *ἀξίως τοῦ θεοῦ καλοῦντος* (Hanc esse genuinam lectionem omnes jure statuunt; cujus *καλέσαντος* (A. Vulg. Aeth. Chrys. Theodor.) correctio habenda est) *ὑμᾶς εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν*. Duo potissimum docemur h. l. Alterum, *τὴν κλῆσιν* non spectare externa benificia, ut quidam finxerunt; sed ipsam Dei *βασιλείαν* et *δόξαν*; vocat Deus ad regnum suum et etiam ad gloriae suae communionem. Tum hoc docemur, *τὴν κλῆσιν* non rem esse absolutam et peractam, sed quae etiamnunc peragatur. Sicuti I, 10. *τὸν ῥυόμενον* minime idem pollere existimandum est quod *τὸν ῥυσόμενον*, sic n. l. forma praesens Partic. sua vice fungitur. Quidni, si vellet referre rem praeteritam, aoristo uteretur PAULUS, alias frequentato? quum jure ineptus ducatur scriptor qui sine causa permutata linguae consuetudine turbet lectores. Significat Apostolus, Christianos per totam aetatem *vocari* tum Evangelii expositione tum omnibus quae agat Deus ut beati reddantur homines. Quo refellitur opinio MEYERI (*Comm. ad Gal.* p. 29): „*überhaupt ist die κλῆσις nie ein in Gott ruhender Act, sondern immer historisch.*" Neque aptatam esse ad h. l. FRITZSCHII *de vocatione* opinionem (*ad Rom.* II, 205) statui posse videtur. — Non dissimilem sententiam prodit 1 Thess. V, 24. Post praecepta varia PAULUS „quum sciret inutilem esse omnem doctrinam, donec cordibus nostris eam Deus quasi digito suo insculpat" (CALV.) precatus erat a Deo ut ipse sanctificaret Christianos (vrs. 23); jam vrs. 24 eos erigit spe consequendae summae salutis his verbis: *πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει*. Ut II, 12, Deus dicitur *ὁ καλῶν* substantive (cfr. WINER *Gr.* p. 403. HERM. *ad Vig.* p. 771), ita ut tollatur ratio facti absoluti. *ὃς καὶ ποιήσει*, sc. quod precatus erat Apostolus vrs. 23, „qui et perficiet, nec mutilam deseret operam suam." *Vocatio* igitur PAULO est argumentum ac ratio perpetui auxilii divinaeque gratiae. Cfr.

Phil. I, 6. 1 Cor. I, 8 sq. Sic ἡ κλῆσις dicitur continere certissimam spem salutis aeternae, et Deus ὁ καλῶν esse videtur qui arcessit ad regnum divinum praedicatione Evangelii (haec verbi καλεῖν est primaria notio); adductos suo auxilio et amore prosequitur usque, et olim gloria afficiet. — Neque his locis convenit significatio *invitandi*, neque 1 Cor. VII, 17, ubi postulatur: *adduxit* ad regnum Messiae; neque 2 Thess. I, 11: κλῆσις hîc est id ad quod vocatur. Cfr. 2 Thess. II, 14. Ad Gal. I, 15 vidd. USTERIUS et SCHOTTUS. Rom. IX, 11 ineptissimum foret explicare: *Deus invitans*, cum longe alia suadeat contextus, (de quo infra). Rom. IX, 24, denique ita usurpatur verbum, ut *invitare* nequeat reddi. Non solum praeparavit (προητοίμασεν) nos ad salutem, sed etiam ἐκάλεσεν nos ut vasa misericordiae i. e. curavit ut potiremur felicitate nobis parata. De vasibus irae de quibus valet quoque Rom. X, 18, neque hic neque usquam alio usus est P. verbo καλεῖν. Quamquam autem non legimus impios, τοὺς ἀπίστους, non κεκλῆσθαι, ex eo quod semper ad credentes refertur jure efficias in illos non convenire judice PAULO.

Difficultate ac dubiis implicatur haec disputationis pars, hinc oriundis, quod non eadam vis verbo καλεῖν subjecta est in Epistolis P. Aliquoties ei accurate respondet Lat. *invitare*, saepe alia sonat. Et quidem quo subtilius composita est oratio, eo minus satisfacit *invitationis* notio. Locis maxime didacticis (Rom. IX, 11, 24. VIII, 30. 2 Thess. II, 14), postulat ratio, ut interpretemur verbum: *adducere ad regnum Christi*. Errarunt qui omnibus ll. eandem tribuerent vim, quod ut perficerent plurimos perverterunt. Negari autem non posse nobis videtur passim quam descripsimus ea usurpari ab Apostolo vi et notione vocabula καλεῖν et κλῆσις. In eadem sententia est cl. v. HENGEL l.l. p. 18.

Haec si vere dicta sunt, etiam recte τὸ καλεῖν dici existimatur de *vocatione* q. d. *interna*. SCHOLTEN l.l. JUL. MÜLLER (cujus sententiam retulit cl. NIERMEYER in: *Mag. v. Kr. en Exeg.* II, 1, p. 78) al. tuentur hanc interpretationem. Et profecto

siquidem perpetua est vocatio, cogitatione comprehendi non potest, PAULUM a continuata Evangelii praedicatione sejunxisse Spiritus divini operam, qua fiat ut non infructuosa sit illa. „Certo inanis tantum sonitus aures feriet, nisi efficaciam habeat a Spiritu doctrina." (CALV. ad 2 Thess. II, 16). Si voluit Apostolus vocationc memorata benevolentiam et gratiam divinam celebrare erga *τοὺς κλητούς*, non potuit non informare illam conjunctam operi Dei in cordibus eorum, quo *κηρύξεως* demum pretium sit. Quid? quod II. cc. Evangelii nulla fit mentio; ac res generatim tradita, nulla adjecta definitione, ipsam hanc sententiam adjuvat. NEANDER de *τῇ κλήσει*: „*die äussere und die innere zur Erzeugung des Glaubens zusammen gedacht.*" (*Gesch. d. Pfl. u Leit.* etc. ed. 3. II p. 711). Cfr. HUTHER ad 2 Tim. I, 9. RUECKERT in *Comm.* passim, inprimis hujus verba recepta ab USTERIO (*Paul. Lehrb.* p. 279 sq.) e priore libri RUECK. editione, ut opinor, quum in altera desiderentur.

Reliquum est ut de relatione moneamus *electionis* et *vocationis*. Fuerunt qui nihil discriminis inter utramque esse putarent; vid KEUCHENIUS *Annot. in N. T.* p. 343, qui *καλεῖν* non modo vocationem efficacem (quam dicebant veteres Dogmatici), sed et ipsam electionem denotare opinatus est. Quod ét per se improbabile est, quum singulis vocibus sit sua vis; ét locis plurimis satis refellitur, quibus efficitur sedulo ab Apostolo distinctum esse utrumque verbum. USTERIUS, etsi bene discernit verba *καλεῖν* et *ἐκλέγεσθαι*, tamen *τοὺς ἐκλεκτούς* nihil differre statuit a *τοῖς κλητοῖς* (in l. l. p. 279). Fallitur V. D. Nam quae vocabula de iisdem subjectis praedicantur non eadem habenda sunt. Qui dicitur *ἐκλεκτός* ab alia consideratione nomen habet, quam si idem *κλητός* audit. Cum illa appellatione conjuncta esse potest ratio *electionis e plurimis*; ad hanc rectius adstringitur admonitio Christianos a Deo accepisse omnia bona Christi regno conjuncta quae sibi contigissent.

Tam differre notiones *delectus* et *vocationis* bene dixit FRITZ-

SCHE II, p. 538, quam distent *fontis* et *rivulorum* notiones. Fluxit ex altero alterum. De quibus *electionis* decretum factum est, iidem ex divino decreto *vocantur*. Quum autem *electio* constanter a PAULO referatur ad consilia Dei aeterna (de qua re mox dicetur), *vocatio* pertinet ad hanc aetatem. Deus ubi *vocat* exsequitur *electionem* atque efficit. Quam differentiam luculenter ll. explanatis doceri sine ulla dubitatione statuo.

CAP. IV.

DE TEMPORE, QUO PAULUS ELECTIONEM RETULIT.

Non difficulter nec dubie commonstratur hujus capitis propositio. Si quae se offerunt involutae res, debentur Dogmaticorum studiis, quorum esset e s. Scriptura eruere quidquid sibi probatum esset.

Jam effecimus praepositionem *πρό* in verbo *προορίζειν* cogitationes dirigere ad tempus praeteritum. Idem suadet vox *πρόθεσις*. Definite ac certe se ipse explicat PAULUS Eph. I, 4, ubi: *ἐξελέξατο ἡμᾶς πρὸ καταβολῆς κόσμου*. Haec dictio semel tantum legitur in scriptis P. In ep. ad Hebr. bis habemus *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου*. Praeter locum ad Eph. occurrit formula nostra Joh. XVII, 24 et 1 Petr. I, 20. Alibi de tempore consiliorum Dei agens dixit P. *ἀπ' ἀρχῆς* 2 Thess. II, 13 *πρὸ τῶν αἰώνων* 1 Cor. II, 7 *πρὸ χρόνων αἰωνίων* 2 Tim. I, 9. Quibus verbis nihil aliud significavit Apostolus nisi quod nobis est *aeternitas*. Etenim recedit Eph. I, 4 ad tempora ante primordia mundi. Definitionem hîc habemus temporis, sed carentem subtilitate illa, qua nostrae aetatis philosophi aeternitatem prehendere posse et excutere sibi videntur. Frustra elegantiora haec et subtiliora apud Apostolum quaeras. Utrum Deum sibi informaverit P. ita ab omni aeternitate existentem, ut omnem temporis cogitationem ab illo vel de-

cernente vel agente removendam esse putaverit; utrum speciem atque imaginem rerum absconditissimarum adumbrare placuerit: non declarant scripta viri divini. Argutatus est AUGUSTINUS perscrutando aeternitatem ac PAULO sua adjudicando commenta. Praetermittimus sententias, quae nostram aetatem redolent, monendo PAULUM non locutum esse de his rebus ut metaphysicum ageret vel Christianos doceret philosophiam. Jubebat eum religio et pietas ut causam salutis, ne videretur hominis esse, ad remotissima referret tempora. Hoc unum satisfaciebat piae ejus menti, suam suorumque salutem non hujus aetatis esse, sed contingere tempora superiora. Injuriosi in PAULUM sunt qui ejus effata de hac re ad vivum resecant, quippe quae non tam e ratiocinationibus manarint quam sint dictata pectoris pietate. Maneat autem PAULUM electionem factam esse docuisse ante primordia rerum. Non aliter censendum est de locis modo dictis et de praep. πρό Rom. VIII, 28, 29 al. Quum enim ipse P. digitum intenderit h. l. ad tempus ante mundi exordium, et praep. πρό designationem temporis superioris contineat, indocte et perverse agunt qui sua ingenia et studia quam PAULUM auctorem sequi malint.

Rursus hîc offendimus Doct. MEYBOOM addictum alii sententiae (vid. l. l. 237 sqq. 240). Censet V. D. ad aeternitatem pertinere Dei consilium beandi generis humani per Christum; *electionem* ad hanc salutem non item. Informat M. nescio quod tempus quo referatur notio praep. πρό; videtur proxime praecedere ipsam vocationem. Magnopere laborat V. D. ne l. ad Eph. sua opinio labefactari videatur. Qui conatus non prospere successerunt, ita ut verear ut cuiquam, qui quidem non in eadem sententia sit dogmatica, persuaserit de PAULI doctrina. Temere distinxit *praedestinationem* ab *electione*, illam interpretatus de generali decreto servandi genus humanum; hanc eandem fere atque *vocationem* esse opinatus. PAULUM non auctorem habet haec opinio (v. supra). Deinde ad libidinem assignavit locum praepositioni πρό; vel potius haeret V. D. quid faciat importuna hac vocula. TITTMANN (*Opusc.* p. 615) intellecto

sic non expediri rem, longius ausus est, et submolestam voculam potius submovendam putavit. Rectius opinor. — *Tum* nititur sententia M. plurimis locis male intellectis, inprimis Rom. IX, de quibus in altera parte scriptionis n. agimus. *Postremo* animadvertendum est hanc opinionem sustineri alia, quam *anti-paulinam* nuncupare nulli dubitamus. Scilicet MEYBOOMII de sententia P. salutem Christianam aptam esse ex indole et natura hominum existimavit. Ut hanc persuasionem tueretur M. negaret necesse erat ante primordia mundi factam esse ἐκλογήν. Nobis autem persuasissimum est nihil omnino ab Apostolo n. tam fortiter, tam constanter pernegari, quam dictam sententiam, quae totius expositionis MEYBOOMIANAE est fundamentum, ut et doct. POELMANNI et *Professorum Groninganorum* PAREAU et HOFSTEDE DE GROOT (*Comp. Dogm.* § 50). Quod ne ὥσπερ ἐκ τρίποδος dictum existimetur, monemus infra nobis hoc commonstrare propositum esse; praeterea, ad singulos locos copiosius enarrata esse quae hîc digito tantum attingere potuimus.

CAP. V.

DE SENTENTIA, QUAM DEFENDIT CL. V. HENGEL.

Reliquum est ut propositis ac ponderatis sententiis ab enarrata diversis vindicemus hanc et tucamur. Praecipuam harum nuper defendit Cl. W. A. VAN HENGEL: „spectatus satis et donatus jam rude," qui indefesso labore haud desinit operam navare in qua excellit disciplina: quod praeter alia testatur V. egr. *Interpretatio Epist. ad Romanos.* Edidit V. cl. disputationem de doctrina N. T. circa *electionem* in mensuario *Godgel. Bijdragen* (*nieuwe serie*) 1855, Part. I, p. 9 sqq.; in qua nervose exposuit sententiam suam *). Ceteras opini-

*) Breviorem autem esse, quis non aegre ferat? Ferebant res ut pleraque strictim attingeret, quorum pleniori expositioni non dabatur locus, ac saepe

ones partim praetermittimus utpote quae supra jam sint memoratae, partim complectimur hac una sententia v. HENGELI, qua contineantur quaecunque specie veri contra sententiam expositam dici possint. Aliae multae ne speciem quidem veritatis prae se ferunt.

Summa sententiae v. HENGELIANAE versatur in voce. *electio* et *vocatio*. Res hisce significata est historica, non vero dogmatica. Spectat Judaeos et Gentes, qui ad regnum Christi translati essent. Inter eos qui jam erant Christiani nunquam distinguitur; immo nuncupantur etiam *electi* qui pessimis flagitiis obnoxii erant. Minime autem *delectus* est ad aeternam felicitatem, vel haec illigata τῇ ἐκλογῇ, quum sit hominis se conformare ad electionem eique respondere. In eadem sententia fuit BRETSCHNEIDER (*Handb. d. Dogm.* ed. 3, II, p. 129 sqq. et in aliis scriptis). Ceterum multas peculiares locorum interpretationes exhibet Viri cl. disputatio, quarum aliae in emolumentum nobis cesserunt, alias refutare conati sumus.

V. HENGELI sententia nobis non Paulina videtur. Quod liceat pace viri cel. modeste probare. Prius autem moneo me in re hermeneutica aliquantulum a V. cl. discessisse. Scilicet disputatione complexus totius N. T. doctrinam nimium praesidii nobis videtur scriptor quaesivisse in libris praeter Paulinos, ac paululum ad hos conformasse PAULUM. Infra declarabimus quam ob rem hoc statuamus. Alterum, de quo inter nos distamus, gravius etiam est. Suspensam fecit saepe V. cl. verborum explicationem ex logica q. d. consequentia. Magni omnino facimus sententiarum in eadem oratione perpetuitatem, nec parum adjumenti afferre arbitramur ad intelligendum auctorem; sed diversa ab hac est sententia, qua statuitur in

decreverit lectori relinquens argumentis firmare, ut ipse v. HENGEL p. 10. Speraveram fore ut *Interpretationis Epist. ad Rom.* illa pars, quae plura continebit huc spectantia in lucem ederetur antequam nostra haec disputatio publicaretur; sed spes me fefellit. Ignoscat pro re nata Vir Clar. si forte aliquando non satis ejus sententiam assecutus esse videar.

doctrina nostra PAULUM talem concordiam obtinere, ut levissima adeo repugnantia devitanda sit in interpretatione. Hac posita et concessa invertitur res; et nobis persuasum est concordiam illam constare magno pretio. Satius putavimus nullam opinionem ponere antequam cum diligentia ac religione quid suadeant verba Apostoli cognoverimus. Post quid nobis videatur exponendum erit.

Redeundum jam est ad ipsam v. HENGELI de electione Paulina sententiam. Pendit haec ex multis locis, qui in alienam sententiam enarrati videntur a V. cl. Qui loci si a FRITZSCHIIS, MEYERIS, DE WETTIIS, RUECKERTIS aliisque melius expositi sunt, tota sententia v. HENGELI corruat necesse est. Hoc autem agimus in parte II. Nunc videndum de hac quaestione: utrum PAULUS, ubi loqueretur de *electione*, solam spectaverit externam civitatem regni Messiae, an cogitatione complexus sit electionem ad sempiternam hujus regni salutem. Illud cl. v. HENGEL existimat, hoc nos efficere conabimur.

Posteriores *) Ecclesiae Christianae doctores excogitarunt distinctionem Ecclesiae *visibilis* et *invisibilis*. Nomine ineptiore rem verissimam significarunt. Namque postquam fundata est Ecclesia Christiana, atque admodum aucta numero civium; postquam jam universae civitates accesserunt ad sacra Christi, omnesque Christianis parentibus nati ex consuetudine ac jure in societatem hujus religionis recipiebantur; non poterat fieri quin horum alii numerarentur in veris Dei cultoribus sincerisque, alii autem essent qui non alio erga Christum animo quam olim *οἱ ἄπιστοι* essent, qui ore ac specie non vero corde venerarentur Dominum. Nemini mirum videatur sensim animum adjecisse huic discrimini Christianos, et quamvis reluctaretur Ecclesia catholica, invaluisse hujus conscientiam. Etsi serioris originis nomen est, *practice* jam pridem vulgata

*) AUGUSTINUS jam de illa cogitavit, vid. cl. KIST, *de Christel. kerk op aarde* cett. p. 213 ed. 2ae; imprimis WICLEF, et WESSEL GANSFORT, vid. id. ibid. p. 82, et ann. 76, et p. 229 sqq.

erat res (Cfr. A. SCHWEGLER *der Montanismus* etc. 1841 p. 232). — Sed prima aetate Ecclesiae res aliter se habebat. Ardua via incedebat Evangelii propagatio; pugna erat ei adversus omne quod erat grave id temporis et ponderosum. Cum periculo omnium, quin vitae, se Christianos confitebantur prisci illi. Qui tunc omnibus valedicerent, vitia amata moresque relinquerent, ut Christum crucifixum amplecterentur, nullo proposito praemio vel remuneratione, nisi coeli beatitate et gloria Messiae: numne de horum fide potuit dubitare Apostolus? nonne debuit hos omnes numerare in veris Dei cultoribus, τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν (Rom. VIII, 28)? Audiamus egregia verba USTERII (*Paul. Lehrbegr.* p. 278 sq): „*Diese Unterscheidung findet sich natürlich bei Paulus noch nicht, weil damals das Bekenntniss des Christenthums nicht bloss Sache des Mundes, sondern des Herzen war, und so braucht denn Paulus unter denen welche im Christenthum unterwiesen worden sind* (Eph. IV 20 sq.) *auch keinen Unterscheid zu machen zwischen eigentlichen ἐκλεκτοῖς θεοῦ und solchen, die sich nur äusserlich zum Christenthum bekennen, ungeachtet es auch bei den Christen an Stoff zu mannigfachen und nachdrücklichen Ermahnungen nicht gebrach, und die νουθεσία, ernstliche Zurechtweisungen und Warnungen, immer etwas sehr Nothwendiges waren.*" v. HENGEL ubi vocatos distinguit ab *electis* (p. 22: *Het woord geroepenen kan wel niets meer beduiden dan die tot de gemeente toegebragt of werkelijk belijders van het evangelie zijn, zoodat de vraag, of hart en leven met de belijdenis overeenstemmen, er niet bij in aanmerking komt*) posuit discrimen inter Christianos quod nusquam indicasse videtur nobis PAULUS, quodque summo jure Apostolo nostro abjudicatur. (Vid JUL. MÜLLER l. l.) Fuerunt omnino in coetibus, qui gravibus adhuc obnoxii essent peccatis. Hoc argumentantur nostrae sententiae adversarii. Non recte, opinor; (vid. USTERII verba laudata). Etenim manent fideles homunciones, variis erroribus in hoc vitae stadio obnoxii; neque ictu primo exstirpabantur vitia inveterata ex animo Christianorum. Immo fide habita Christo

condonantur ac pedetentim emendantur a Spiritu sancto. — Quae res melius perspicietur si haec consideraverimus. Ponamus paulisper (quod infra narrare propositum est) PAULUM habuisse salutem Messianam donum gratiae divinae, non vero, ut placet multis, Dei hominisque dimidiata opera participes illius fieri homines; quo simul ponatur et concedatur *eligi* ad hanc salutem: ecquid aliter locutus esset, quam fecisse videmus? Nonne necessitas imposita erat PAULO conjungendi cum externa regni Christi civitate internam animi adjunctionem? — Egregie CALVINUS: „de fratrum electione non est anxie quaerendum, sed a vocatione potius aestimandum: ut pro electis habeantur quicumque per fidem in ecclesiam sunt cooptati. Eos enim Deus a reliquo mundo segregat, quod electionis signum est." (*Comm. ed.* THOL. III, p. 13, cf. cod. l. II, 170). Atque iterum vir magnus: „Ergo in quibuscumque relucere cernimus adoptionis notas, eos interim habeamus pro filiis Dei, donec libri aperiantur qui penitus omnia patefaciant. Solius quidem Dei est nunc suos cognitos habere et tandem segregare agnos ab hoedis; sed nostrum est, ex caritate agnos judicare omnes, qui Pastori Christo obedienter se subjiciunt, qui se aggregant in ejus ovile, et ibi constanter manent. Nostrum est tanti aestimare Spiritus sancti dona, quae peculiariter electis suis confert, ut sint nobis quasi electionis absconditae sigilla" (in l. l. II, p. 115). Quum igitur tempus non ita ferret ut „ficto pectore" Christianos esse suspicaretur Apostolus; quum porro animorum judex non esset, et circumscripta scientia humana eum cogeret „non aliter quam ex eventu de decretis divinis judicare" (BUDD. *Dogm.* p. 1173); atque „sic loqui posset, quia bene sperabat de illis, ex judicio charitatis" (FRANC. TURRETT. *Instit. Theol.* I, 394); quum denique salutis summam rem *fide* contineri persuasissimum esset PAULO, hujus autem talia tantaque dedissent documenta Christiani in accessu ad Christum: summo jure efficere nobis videmur PAULUM e fide collegisse electionem, quemadmodem ex effectu ad causam concludere

solemus; ac recte dixisse J. ED. HUTHERUM (*Comm. ü. d. Br. Petri* p. 36): *„Die Aufnahme in die Kirche ist die Manifestation der göttlichen Erwählung."*

Hanc cum adjunctione necessitudinem jam ab alia parte illustrare et confirmare juvat. Auctore v. HENGELO lites de hac doctrina maxime inde ortae sunt, quod referrentur ad dogmatica quae pertinerent ad historica. Recte. Nam Praedestinatiani plerumque perverse puram putam de electione ad vitam aeternam in S. C. doceri doctrinam contenderunt. Apud PAULUM certe constanter electio refertur ad coetum Christianum. — Sed vero minus etiam PAULI mentem assequi videntur qui, ut cl. v. H., rem prorsus avellunt a Dogmatica; hanc illi subjunctam esse et cum illa conjunctissimam negantes. Plane ac nervose. expressit nostram sententiam (HASE) HUTT. REDIV. (ed. 8) p. 224: *„Was in der Kirche als Erwählung zur Seligkeit angesehn wird, ist im N. T. zunächst als Erwählung zum Christenthum ausgesprochen; dieses aber als einziger Weg zu jener: sonach kein wesentlich Unterschied.* Jam si causa *electionis* unius prae altero non in homine quaerenda est (v. H. p. 21), sed soli Deo acceptam referendam esse salutem statuendum (ut v. H. l. l. et p. 15), non facile notiones deterministicas subterfugias. Sensit hoc BRETSCHNEIDER, acerrimi ingenii vir. Itaque non satis habuit ad necessitates *historicas* retulisse doctrinam; vel sic *conditionibus* teneri putavit electionem ad Christianismum. Ex usu fore videtur e PAULI scriptis commonstrare, electionem ad coetum Christianum coalescere in electionem ad salutem, et, si quinam Christiani fiant decretis divinis constitutum est, eosdem ad salutem aeternam praefinitos esse judice PAULO.

Attendatur cum primis regni Messiani cum aeterna gloria Christianorum arctissima conjunctio. Hujus expertes sunt *οἱ ἄπιστοι*, qui fidem habere denegabant. Hos in *τοῖς ἀπολλυμένοις* numerat PAULUS. Utrumque sic conjunctum, ut alterum sine altero cogitare non posset. Quare ubi de electione sermo est, non raro relucere videmus hanc conjunctionem in PAULI

mente, et quasi per transennam adspicimus non aliam ei fuisse electionem ad Christianismum praeter electionem ad salutem. Quod hîc significavimus haud dubie elocutus est LUCAS Act. II, 47. E scriptis Paulinis laudo Rom. VIII, 28 sqq 1 Cor. I, 9. Eph. I, 4 sq. 1 Thess. I, 4 sq. II, 12. IV, 7. 2 Thess. II, 13. (v. ll. alibi enarratos). Quam maxime hujus rei argumento est disputatio Rom. IX. Quaerit Apostolus de causis, ob quas major pars Judaeorum esset expers beneficiorum regni Messiae. Primo loco obversatur ejus animo Judaeorum sejunctio a coetu Christiano; deinde autem sensim abit disputatio in δόξαν et ἀπώλειαν. Sic ipse scriptor se interpretatur; δόξα substituta est in locum civitatis regni Christi externi; ἀπώλεια ad eos pertinet, qui Christum non accipiunt. Delapsus est PAULUS ab electione ad externum quid ad salutem sempiternam. Neque disertis verbis indicaret necesse erat, quum e summo Apostoli dolore atque animi aegritudine satis persentiscamus, exclusionem e regno Messiae ei fuisse omnium miserrimum, sempiternam illam miseriam, ἀπώλειαν, quae sit impiorum et non credentium sors; Phil. I, 28. 1 Cor. I, 18; communionem autem hujus regni continere δόξαν futuram, quam non adipiscantur nisi qui per fidem ad coetum Christianorum accesserint. cff. FRITZSCHE *ad Rom.* II, 399. v. HENGEL. *Comm. ad.* 1 *Cor.* XV. p. 79 sqq. — Non video qua ratione hanc sententiam praetervehamur, nisi ubi, ECKERMANNUM secuti (*Handb.* II, 185 sq.) τὴν σωτηρίαν interpretemur de privilegiis quae obtingant regni Messiani civibus, ἐκλεκτούς opinemur quibus haec obtigerint; existimemus autem nullam omnino rationem haberi salutis acternae; versari totam rem in externis beneficiis, quorum jactura declaretur vocc. κατακριθῆναι et κατάκριμα. Sed vero, cui placeant haec? cui probarit ECKERMANNUS, haec *Rationalismi* commenta PAULUM habere auctorem? Profecto, hac ratione simul ét interitus ét vitae aeternae notiones prorsus obliterantur in institutione apostolica. Minime in hac sententia est cl. VAN HENGEL. Alios significo, qui prope ab ea absunt

nec tamen propalam ECKERMANNI opinionem acceperunt, Lutheranorum ét Rationalistas ét Supranaturalistas patrum memoria. Contra quos meminisse juvat verba SCHLEIERMACHERI de BRETSCHNEIDERO, eidem addicto opinioni: „*Wo Hr. Bretschn. die calvinischen Beweisstellen abweisen will, da folgert er — Unterscheidungen heraus, die nicht nur nicht im Text stehen, sondern auch der ganzen neutestamentischen Denkart schnurstrakks zuwider sind, wie z. E. dass es nur ein irdischer Vorzug sei, dass einige unter so vielen zuerst Christen wurden, und dass dies mit der Seligkeit in der zukünftigen Welt nichts zu schaffen habe.*" *Sämmtl. WW. zur Theologie* II, p. 433.

Ut diximus, non discessit in hanc sententiam v. HENGEL. Certissime pertinet electio ad salutem; tantum quod non eliguntur Judaei et Pagani ad salutem, verum ad *viam* salutis. Per electionem facultas conceditur, qua ipsi finem consequantur fidei animorum, nempe beatitatem: haec vero nusquam illigatur electioni. — Ita v. HENGEL. Quatenus assentiamur viro egregio de singulis, hîc non curamus. Tantummodo declarabimus, hoc posito et concesso notiones praedestinatianas q. d. non amplius averti posse nobis videri. Etenim, ut homines fierent Christiani, praeter copiam audiendi Evangelii, quae patuit omnibus (Rom. X, 18), multa requirebantur. Docemur hoc, ubi innumeros repudiare salutem Christi videmus. Animus esset veritatis amans et capax necesse erat et veritas illustri quadam ratione placeret animo; exstare et excitari debebat rerum coelestium amor et virtutis studium; brevi: alios magno desiderio salutis affecit Evangelii κήρυξις et effecit in eorum animis fidem, alios intactos reliquit. Jam vero, si per electionem et divina efficacitate adducuntur singuli homines ad confessionem Christi, neque sua unus homo vi ac studio ad Christi regnum accessit (quod placuit ipsi V. cl.): consequitur Deum efficere in homine fidem ac virtutis studium (cfr. REICHE II, p. 320 sq.). Porro sua det ratio, ut non in omnibus effecisse fidem statuamus, nisi forte P. inania verba scripsit. En notio particulari-

stica q. d. Namque aliis conceditur salus, aliis non item, quamquam ipsorum culpa non negliguntur graviore. Recte quidem hoc modo ecclesiastica doctrina reprobatur, quae permiscuit quae distinguenda erant; sed nequaquam removeri putamus cogitationem Dei administrantis libere salutem et beatitatem Christi. — Age vero! consideremus, remota aetatis Apostolicae ratione, quatenus valeat doctrina Paulina in nostram aetatem. Quodsi id temporis constituit et effecit Deus, quinam fierent Christiani (hoc autem ita dilucide certeque e PAULI scriptis probari potest ut certius sit nihil), summo jure contenditur etiamnunc hanc electionem fieri. Planc eadem ratione qua tunc opponebantur κλητοί et ἐκλεκτοί, qui sc. fidem habebant Christo, τοῖς ἀπίστοις, ἀπολλυμένοις, qui repudiabant salutem; nunc distingui possunt pii Christiani, qui veram fidem habent, ab iis, qui ex consuetudine nomine Christi insigniti nec fidem habent et „infami opera dehonestant" nomen illud. Absurdum foret, nomina κλητοί et ἐκλεκτοί transferre ad omnes qui hodie Christiani audiunt. Hoc tum demum fieri potest, si multa vana et inaniter scripsisse concedimus Apostolum; plurimaque quae dixerit de electis Dei amatis ad nugas referenda esse. Quod plenius explicabimus Parte II. Lubet hic transcribere pulcherrimum locum e disputatione SCHLEIERMACHERI *de electione* (WW. z. Theol. II, p. 433 sq.): *„Eben so ist es mit dem Unterschiede, es sei in allen jenen Stellen von einer Auswahl unter Juden und Heiden die Rede, und nicht von einer Auswahl unter Christen. Freilich ist die Rede nur von der göttlichen Ordnung, nach welcher die Menschen Christen werden oder nicht werden. Aber werden die jetzigen Menschen nicht auch erst Christen mit der Zeit? und werden sie es alle, oder auch einige nur, andere nicht? Ist also nicht der Fall ganz derselbe, und auch die in den symbolischen Büchern beider Kirchen anerkannte Klage, dass unter vielen berufenen nur wenige auserwählt sind, ganz dieselbe, und auch hier eine Ordnung und Auswahl, nach welcher die Menschen Christen werden? Denn ob ein in der Christenheit geborner nur*

die Wirkungen der vorbereitenden, oder auch die der wirksamen Gnade erfährt, daran muss die göttliche Anordnung eben soviel Antheil haben, als daran ob ein Jude oder Heide wirklich gläubig wurde und getauft, oder nur berufen." *)

Optime doctrina electionis perspicitur, si unde orta sit contemplamur. Scilicet erat PAULUS natione Judaeus. Hic populus prae ceteris electum esse se jactabat. Pro hominum mente superba hoc quam maxime placebat Judaeis, Deum in deliciis habere gentem suam. Per totum V. T. percurrit hujus rei certissima persuasio. — Jam docebant Apostolum rerum eventus, plurimos Judaeos repudiare salutem, cujus ipse mirifice factus esset nuntius; Ethnicis acceptam esse Evangelii denunciationem. Cum autem de divina gubernatione quae sit super omnibus item persuasissimum esset Apostolo, suadebat eum pia mens, ut veteri oeconomiae novam successisse firme crederet, et loco populi Israëlitici *electos Dei* factos esse Christianos. Ut quondam sibi elegerit Israëlem, sic nunc sibi eligere Deum populum undique collectum; eligere hunc coetum in Christo, quem vaticinati essent prophetae; hos autem delectos Deo esse prae ceteris omnibus caros. Non perspicio equidem, qua ratione rite intelligas identidem iteratam electionem et vocationem, nisi statuatur ét divinae gubernationis persuasione niti, ét substituti in locum populi Israëlitici gregis Christianorum. Quatenus ex Dei efficacia hanc electionem suspensam proposuerit PAULUS; utrum vel in quantum requisiverit hominum consociatam operam ut coetui adscriberentur et potirentur salute Messiana, mox indagaturi sumus.

Subjicimus hîc enarrationem loci 2 Thess. II, 13, 14, quippe qui singula capita hujus partis egregie illustret et dicta confirmet. Nullo loco tam dilucide complexus est omnes notiones hujus doctrinae proprias, quam hoc, de quo vere

*) Notandum quod supra (p. 33) exposuimus, SCHLEIERMACHERUM *vocationem* interpretari de sententia Matth. XXII, 14: *invitationem* ad regnum coelorum.

dixit ED. REUSS (*Hist. de la Th. etc.* II p. 133) „*qu'on réunit dans cette phrase toute la série des notions essentielles de l'Évangile.*" Ne metu percellerentur Thessalonicenses eventorum, de quibus sermo fuerat, eos consolatur Apostolus et hortatur monendo de singulari in eos amore Dei, quo, „quum cernant totum fere orbem quasi violenta tempestate simul in mortem abripi, ipsi Dei manu in quieto et firmo vitae statu retineantur." (CALV.). Cujus rei causa memorat eorum electionem. — Jubet PAULUM suus animus (*ὀφείλομεν*) Deo gratias agere, *ὅτι εἵλατο* (sic leg. pro *εἵλετο*) *ὑμᾶς ὁ θεὸς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν κ.τ.ἑ* — Verbum *αἱρέω* in N. T. non legitur nisi h. l. et Phil. I, 22 et Hebr. XI, 25, ubi tamen non eandem potestatem habet ac n. l. Significat ll. cc. *praefero, malo.* Nec tamen haeret aqua. *αἱρεῖσθαι* declarat *deligere, eligere* (vid. PASSOW, ed. ROST et PALM I, 62). Et in versione Alex. *εἵλατο* et *προείλετο* idem denotant quod *ἐξελέξατο.* Sic Deut. XXVI, 18, Deus *εἵλατο* populum Israëliticum, ut esset sibi *λαὸς περιούσιος.* cfr. VII, 6, 7. X, 15. Nullum igitur est dubium, quin a PAULO verbo idem designetur, quod vocabulis *ἐκλέγεσθαι* etc. (vid. supra). — *εἵλατο ἀπ' ἀρχῆς.* Sic enim legendum teste A. D. E. al. (LACHM. e *Cod. Vatic.* et TISCH. *Ed. Lips.* I *ἀπαρχήν* in textum receperunt). Receptam lectionem tuentur WETST. GRIESB. TISCH. ed. II. LUENEM. v. HENGEL. Recte; nam praeter majorem auctoritatem jubet historia et grammatica nos vindicare *ἀπ' ἀρχῆς.* (v. REUSS l.l. et LUENEMANN. p. 185). Jam vero dissentiunt Interpretes quid denotet *ἀπ' ἀρχῆς;* alii *ab initio praedicationis Evangelii* reddunt; alii *ἀρχήν* intelligunt, ut 1 Joh. I, 1 et Ev. Joh. I, 1. Ne illud probemus vetant omnia. *Primum ἀπ' ἀρχῆς* nulla adjecta interpretatione nusquam significat nec sine magna obscuritate significare posse videtur initium *κηρύξεως* s. in Macedonia (VORSTIUS) s. universe inter Ethnicos (v. v. HENGEL p. 15). Saepe quidem in N. T. de initio alicujus rei *in tempore* usurpatur, sed contexta oratio ibi lectorem certiorem facit. H. l. nihil praecedit quo jubeamur tale

quid cogitare. Phil. IV, 15. ipse PAULUS adjicit *τοῦ εὐαγγελίου*. *Deinde* huic explicationi adversatur historia, siquidem Cap. demum XVII Act. Evangelium ad Thessalonicenses venisse legimus, postquam Philippis denunciatum erat. Nec gentium nec Europae nec Macedoniae primi fideles facti sunt Thessalonicenses. Non autem licet cogitatione adjicere *quasi*, quod factum video. *Tum* altera interpretatio commendatur analogia dictionis 1 Joh. I, 1. II, 13. Ev. Joh. I, 1, ubi Dogmatica tantum impediti aliter explicare possumus quam de tempore „ante primordia saeculorum, et ante omne, quod vel ante dici potest" (AUGUSTIN. *Conf.* I, 6).

Porro illa interpretatione inita satis inepta est tautologia, quum vrs. 15 sequatur *ἐκάλεσεν*, quod de vocatione *in tempore facta* dictum est. Non admittenda tam frigidissima sententia. — Quid? quod, cum *εἵλατο* plane idem declaret quod *ἐξελέξατο* Eph. I, 4, non possumus non dictionem *ἀπ' ἀρχῆς* adaequare cum *πρὸ καταβολῆς κόσμου*. Certe praeter desperatissimum perfugium, de quo diximus, non video equidem quo referatur *electio*. Accedit ut Sirac. ut synonyma jungat *πρὸ τοῦ αἰῶνος* et *ἀπ' ἀρχῆς* XXIV, 9. et LXX Mich. V, 1. haud dubie *aeternitatem* efferre laborantes, certe tempus quod initio caret (vid. GESEN. *Lex.* p. 744 et 881) verba וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם reddiderint: *καὶ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος*. cfr. omnino WITSIUS *Oec. Foed.* Lib. III, Cap. IV § 21 sqq. et HUTHER *Die Br. des Johannes* p. 32 sq.

Non temere igitur existimamus hac dictione aeternitatem denotari ad quam pertineat electio *consilii et intentionis*, ut veteres loquebantur. Si quis autem urgeri velit notionem aeternitatis, quae sane careat *initio*, hunc commonitum velim PAULUM ad consolandos et confirmandos Christianos haec memorare, inter quos etiam rudes et indocti erant, quibus haec definita certaque erant clariora quam accuratiores definitiones; *tum* philosophas notiones de Deo, quales prae se fert hodierna disciplina, in N. F. omnino desiderari. Quod utinam melius attendissent Interpretes!

Electos esse ἀπ' ἀρχῆς dicit Apostolus εἰς σωτηρίαν. Aeterno Dei decreto prae aliis destinati sunt ad σωτηρίαν. Multa de hac voce prolata sunt inepta, qualia ab ECKERMANNO audivimus, refutatione autem indigna sunt. Pauper melioribus erat aetas Rationalismi, cui aeque ac ejus adversario in exegesi debemus paucissima. De σωτηρία bene dixit REUSS, *Histoire* etc. II, p. 104, 205, et imprimis RÜCKERT, *Comm. ü. den Br. P. an die Römer* ed. alter. 1, p. 44 sq. et cl. v. HENGEL *ad Rom.* I, p. 87 sq. — Opponitur n. l. τῇ κρίσει impiorum (vrs. 12), quo jam vocis sententia percipitur. Vulgo oppositum est vocc. ἀπόλλυσθαι et ἀπώλεια. 1 Cor. I, 18, 2 Cor. II, 15, IV, 3. n. cap. vrs. 10. Phil. I 18; ἡ ἀπώλεια est interitus qui peccatoribus manet omnibus. Jam Evangelium credentes ex pernicie ac morte eximit Rom I, 16; hoc est σώζεσθαι, σωτηρία. Complectitur haec dialecto Paulina salutem et felicitatem regni Christi, concessam omni qui credat et aliquando consummandam in parusia Christi. Est igitur loci n. sententia: elegit vos, ut servemini; ut non divinae irae subjiciamini et condemnemini (vid. praec.) sed salutis participes fiatis. Addit scriptor ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας. Errat DE WETTE ubi praep. ἐν finem proximum indicare opinatur. Nam temere permutantur praepositiones ἐν et εἰς (neque recte citatur 1 Thess. IV, 7), et sensum loci sic perverti bene docet LÜNEMANN p. 219. Huic visum est jungere verba cum εἵλατο εἰς σωτηρίαν, ita ut illis significetur medium, quo rata fiat electio ad salutem. Fortasse recte, quamquam artificiosius. Acu rem tetigisse videtur WINERUS, *Gramm.* p. 494 locum sic interpretatus: „*erwählt zum Heile in Heiligkeit des Geistes, der ἁγιασμὸς πν. ist der geis-*

*) Cl. v. HENGEL „*veram et perennem salutem*" interpretatur. Hoc imprimis notandum, virum acutissimum discrimen statuere inter σωτηρίαν et τὴν σωτηρίαν, ita ut haec proponat *ipsam salutem, cujus omnes participes sint*; illa vero *partem salutis qua quisque fruatur*. Significat ergo formula nostra ut Rom. X, 10: *ut quisque salutis particeps fiat*. cfr. quae scripsit idem vir cl. *ad Philipp.* p. 171.

tige Zustand, in welchem die σωτηρία vermittelt wird." In eandem fere sententiam CALVINUS arbitratur „nihil aliud velle PAULUM, quam electioni subjicere propiora signa, quae illam per se incomprehensibilem nobis patefaciant et cum ea individuo nexu cohaereant." Salus non invito conceditur vel impietati injungitur. Cui electione salutem praefiniverit, hic ut per Evangelium cognoscat Christum et coelestem veritatem curat Deus. Cum primis electorum animi a Spiritu s. purgantur et imbuuntur certissima de divina doctrina persuasione. 1 Petr. I, 2. 1 Thess. V, 9. „Atque hinc refellitur eorum improbitas qui electionem Dei praetextum faciunt omnis nequitiae: quando Paulus illam cum fide et regeneratione sic conjungit, ut non aliunde velit eam aestimari." (CALV.) Frustra haec verba PAULI memorare videtur cl. v. HENGEL (p. 17) in favorem sententiae anti-praedestinatianae. Quis enim credat unquam sejunxisse Apostolum fidem ac vitae probitatem a salute? verum sic non probatur electione non contineri salutem. Contra statuit ipse Apostolus h. l. — Quae sequuntur (vrs. 14) nos non diu detinebunt. εἰς ὅ refertur ad modo enunciatam sententiam εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγ. πν. καὶ π. ἀληθ. Ut servari possit ex interitu, et fidelis et pius fiat homo opus est *vocatione*. Vocavit igitur eos Deus διὰ τοῦ εὐαγγελίου ἡμῶν (LÜNEM: *Historische Vorbedingung der πίστις*); 1 Thess. I, 5. Rom. X, 17. Quod addit auctor εἰς περιποίησιν κ.τ.ἑ. iterum declarat, quo tendat *electio*. Scilicet hujus finis est, ut accipiatur ab electis gloria Christi. (de voce περιποίησις alibi (v. p. 63 sqq.) quaerimus). Ad rem cf. Joh. XVII, 22. Rom. VIII, 17, et quae scripsimus p. 7 sqq.

Tandem hic memorare juvat scitam WITSII nostri admonitionem eorum, qui l. h. referebant ad promissionem factam Adamo: „etiamsi in ista promissione generalis aliqua commonstratio inter electos et reprobatos posita sit; non tamen credibile esse Apostolum id hic loci in animo habuisse, qui non agat Deo gratias propterea quod quosdam homines elegerit, sed specialissime quod elegerit istos Thessalonicenses.

Electio autem Thessalonicensium non potest ex generali illa Dei declaratione colligi, cui sua potuisset constare veritas, etiamsi nemo eorum qui tunc temporis Thessalonicam incolebant, electus foret." (*Oec. Foed.* l. l. § 22) Quod egregie popularis nostri monitum in multos hodieque convenit, qui manifestissimam *hominum* electionem in epistolis Paulinis male sedulo obliterant.

PARS II.

DE CAUSA EFFICIENTI ELECTIONIS.

Docebant Apostolum κηρύγματος eventus, non omnes fidem spondere Christo, plerosque non tangere divinam veritatem, quin infesto erga eam animo esse multos. Hujus eventus causae quaestionem constituunt *electionis*.

Res non difficilis videtur nihilque multis explicatius. Scilicet ita vulgo causam agunt Theologi, ut Deum pro infinita sua benevolentia et gratia omnium causa cupere existiment, omnesque per Christum beari velle, ut PAULUS 1 Tim. II, 4. Itaque facere quae possit, se cognoscendum curare Filiumque suum, promissis, minis, aliis fidem excire. Homines autem obstare quominus rata fiat divina benignitas. Quum sit fides ipsissimi hominis quam maxime propria facultas et actio, ipsum quoque suam salutem perficere, solumque trahere culpam quicumque salutis fiat expers, quam sibi comparare noluerit. Sic jam informavit rem PELAGIUS, ut homo suae cum salutis, tum perniciei existeret causa una, libera, absoluta; et vero etiamnunc haec PELAGII placent plurimis, ut bene explicantia contextum divinae providentiae et arbitrii hominum. Habent sane probationem haec decreta communi intelligentiae. Nam Deo adjudicari videtur causa salutis, contumaciae hominum non item. Relinquitur homini sua libera voluntas; et hisce duobus pio pectori satisfieri unice videtur.

Ut haec sint clara et simplicia et pia, non tamen in iis acquievit PAULUS, neque huic videntur satisfecisse. Hac dis-

quisitionis nostrae parte propositum est probare, minime PAULI de gratia et efficacitate divina doctrinam absolvi proposita illa gratia Dei, qua Filium suum tradiderit et administrarit media salutis, ita ut quicumque salvus fieri velit jam ad bonam frugem se recipere queat; sed omnino electionem fieri, auctore PAULO, sine qua non obtineatur salus; aptam esse hanc electionem ex Dei decretis ac voluntate, et ita unius Dei esse salutis Christianae administrationem.

Hanc disputationem ita instituimus, ut *primum* locis aliquot Paulinis exponendis quasi imaginem adumbremus efficacitatis Dei circa salutem hominum; *deinde*, enarrando loco ad Romanos VIII, 28 sqq. examinemus sententiam, quae multis frequentatur in expositione nostri dogmatis; *denique* uberius disputemus de cap. IX° ad Rom. Epist., quo illustrentur, confirmentur, amplificentur, quae hactenus sint dicta.

CAP. I.

DEI EFFICACITATIS CIRCA SALUTEM HOMINUM E SCRIPTIS PAULI ADUMBRATIO.

§ 1.

Praeparatio.

Sponte patet jam in regenda et administranda Evangelii praedicatione cerni liberam aliquam penes Deum salutis Christianae dispensationem. Salus enim pendet ex illius cognitione, ἡ πίστις (qua continetur salus tota) ἐξ ἀκοῆς· ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ, Rom. X, 17. Hoc tam per se manifestum est, quam Apostolo exploratum, v. vrs. 14. Quod autem Dei mandato efficitur ut perferatur nuntius, non minus. Namque non sua sponte denuntiabant Evangelium Apostoli, sed

pie credebant moderari Christum hanc rem, qui se vocasset ad Apostolatum et dimitteret in varias partes. Rom. X, 15. Act. XXVI, 17. XVI, 8—10; vel Deum Act. XV, 7; v. totum Rom. XI. Ad divinam igitur gubernationem (nam ss. SS. non accurate discernere solent opus Dei et Christi) pertinet cognitionis Evangelii administratio. Electionem aliquam hîc jam conspici evidens est, dummodo teneatur nusquam vocari a PAULO hanc moderationem *ἐκλογήν*, quod temere statuit doct. POELMAN l. l. p. 20. Simul cognoscimus jam paululum constringi sententiam 1 Tim. II, 4. Vid. CALV. *Opp.* VII, p. 737. (*Resp. ad Art. I calumniarum nebulonis cujusdam*); SCHLEIERMACHER *Chr. Glaube* § 119, 2; *Sämmtl. WW. zur Theol.* II, p. 429 *sq.*

Hisce autem non contineri PAULI de efficacitate Dei doctrinam et deinceps luculentius efficiendum erit, et jam nunc patebit, ubi dicta quaedam ejus conspecta illustraverimus, quae, quamquam non diserte agunt de electione vel praedestinatione, tamen continent cogitationem moderationis divinae et efficientiae in rebus salutis. Quasi per transennam adspicitur haec cogitatio 1 Thess. II, 16, ubi verbis *εἰς τὸ ἀναπληρῶσαι κ.τ.ἑ.* significatur „finis seu scopus, non quidem quem ipsi sibi habebant propositum persequendo credentes, sed quem Deus sibi habebat propositum permittendo illis istam persecutionem." Si illud „permittendo," quod ad libidinem adjecit interpres, excipis, bene sic locum reddidit PISCATOR; male enim explicatur *εἰς* ac si scriptum esset *ὥστε*, de *eo quod consecutum sit*; immo *finem* indicat. Monet LÜNEMANN ad h. l., acceptam esse hanc sententiam PAULI menti, quae libenter commoretur in aeternis et arcanis Dei consiliis. Porro vide ut loquatur Apostolus Gal. I, 15; per verbum *εὐδόκησεν* celebrat arbitrium Dei (vid. USTERI ad h. l.), qui designarit, elegerit (*ἀφορίσας*) se *ἐκ κοιλίας κ.τ.ἑ.* (h. e. ex interpretatione RÜCKERTI *ad Rom.* I, p. 7 (ed. 2): *eine menschliche Form für die Idee einer ewigen Vorherbestimmung.*" Jes. XLVI, 1, 2. MEYER explicat: statim ut natus sum). Bene post CALV.

BORGERUM al. docet SCHOTT (*Comm.* ad. l. n.) quemadmodum *ἀφορίσας* decretum gratiae divinae pridem constitutum de SAULO suo tempore convertendo indicet, ita *καλεῖν* hîc respicere ad tempus, quo res decreto divino constituta acciderit. Ne suae probitatis meritorumve ratio habita esse videretur, addit PAULUS: *διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ*. Primo loco memoret vocationem ad Apostolatum, licet; at, nonne tamen simul ad fidem et salutem Christi cui infensus fuisset, designatum esse et vocatum existimemus? cf. Act. XXII, 14. Non minus divinae libertatis et arbitrii cogitationem prodit Col. I, 26, 27, cujus loci interpretatio ceterum non requiritur hîc. Subest eadem Phil. I, 29, ubi *τὸ εἰς Χριστὸν πιστεύειν* praedicatur gratuitum donum Dei (*ἐχαρίσθη* cf. Rom. XI, 6). 1 Thess. IV, 9. fratrum amorem Deus dicitur edocuisse Thessalonicenses, et insevisse in eorum animis; „ea demum vera est charitas, ad quam edocemur atque informamur a Deo per Spiritum ipsius" (PISCATOR). cf. omnino LÜNEMANN ad h. l. 1 Cor. XII, 3, uni deberi Spiritui s. dicitur fides (*κύριος Ἰησοῦς* „*das constante Loosungswort des gläubigen Herzens*" MEYER); vrs. 6 Deus est *ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν*. cf. Rom. XII, 3 et RÜCKERT *ad Rom.* II, p. 173. Loci Col. II, 12, et Eph. I, 19, non magni apud me sunt ponderis qui addubitem de interpretatione. Priore loco *τῆς ἐνεργείας* ab aliis habetur pro genit. obj., inprimis a MEYERO; aliis est genit. causae efficientis (DE WETTE, SCHOLTEN (*de Leer der Herv. Kerk*, ed. 3, II, 84) al). Cum hac controversia connexa est loci ad Ephes. interpretatio. Si valet clar. SCHOLTENI sententia, haud dubitanter fidem procreari divina *ἐνεργείᾳ* h. l. dixit Apostolus.

Illustrando dicto Paulino 1 Thess. V, 9 transitum parabimus ad seriem locorum in hac, quam agimus, re graviorum. *ὅτι οὐκ ἔθετο κ.τ.ἑ.* adduntur a scriptore, ut confirmet *ἐλπίδα σωτηρίας* (vrs. 8). Monet Thessalonicenses ne desistant spe, propterea quod Deus non destinasset eos irae et perniciei. Fidenter hoc de iis affirmat Apostolus, cui eorum ad Christum

conversio inter tantam popularium turbam, negantium fidem Christo, hujus rei sit documento; judicat ex eventu. Quid igitur? „destinavit nos Deus εἰς περιποίησιν σωτηρίας κ.τ.ἑ. Vox περιποίησις habet interpretationis difficultatem. Verbum unde originem ducit vulgo significat *sibi comparare, acquirere*, ét classicis ét scriptoribus sacris. Act. XX, 28. 1 Tim. III, 13. Saepius non legitur in N. T. Frequenter utuntur verbo LXX et Apocryph. iisdem significationibus atque optimi Graeci. Substantivum περιποίησις quinquies legitur in N. T.: Eph. I, 14, cujus loci admodum dubia est interpretatio, nec alios locos potest illustrare, utpote quam maxime et ipsa indigens illustratione. 1 Petr. II, 9, denotat idem quod Hebr. סְגֻלָּה, (LXX vulgo reddunt λαὸς περιούσιος; Mal. III, 17, autem εἰς περιποίησιν) *peculium, populus Dei quam maxime proprius.* cf. Tit. II, 14. Hebr. X, 39, de conservatione vitae dicitur cf. XENOPH. *Cyrop.* IV, 4, 10. Remanet unus locus nostri simillimus, 2 Thess. II, 14. Reddunt nostrates *verkrijging*, quam versionem probat cl. VAN HENGELUS (l.l. p. 17), et ita intelligit ut activam *sibi comparandi* vim habeat. Citius crediderim *accipiendi, nanciscendi* notionem subesse voci, ita ut dicat PAULUS, Deum destinasse Thessalonicenses, non ad perniciem, sed ut nanciscantur salutem per Christum. Haec quam proponimus explicatio majorem quam altera habet commendationem ab usu loquendi. Activa significatio, in quantum scio, nullo probatur exemplo. Nostra aliquam probationem habet in significatione *possessionis* 1 Petr. II, 9. Majorem autem Hebr. X, 39. Sicut ὑποστολή dicitur ad ἀπώλειαν ducere, ita πίστις ad περιποίησιν ψυχῆς, quae duo vocabula unam exprimunt notionem, *levensbehoud*, oppositam τῇ ἀπωλείᾳ. Itaque vox non denotat *actionem*, nisi forte et ἀπώλεια depingit *actionem*, cf. Rom. X, 10. Non aliter res se habet 2 Thess. II, 14. Est enim perspicuum εἰς περιποίησιν δόξης idem complecti quod εἰς σωτηρίαν vrs. 13; definitur σωτηρία, ad quam delegit Deus, tanquam adeptio gloriae J. Christi. Jam PAULUS nusquam docuit gloriam Christi a nobis acquiri; immo

conceditur nobis aeque ac *ἡ σωτηρία*. 1 Thess. II, 12, *vocari* dicuntur Christiani ad Dei *βασιλείαν καὶ δόξαν*. 2 Tim. II, 10, legitur: *ἵνα καὶ αὐτοὶ σωτηρίας τυχωσι τῆς ἐν Χρ. I. μετὰ δόξης αἰωνίου*. Verbum *τυγχάνειν* semper dicitur de adeptione alicujus rei sine opera nostra (v. *Lex. Passov.* II, p. 2003): *participem fieri*. Col. I, 27, Rom. V, 2, *speratur δόξα*. Rom. VIII, 18, *ἀποκαλυφθήσεται εἰς ἡμᾶς*. vrs. 30, Deus *δοξάζει*. Rom. IX, 23, Deus *προετοιμάζει εἰς δόξαν*. Frustra in epistolis PAULI quaeritur locus, ubi comparari virium intentione nostra dicatur *ἡ δόξα*. — Denique n. l. (1 Thess. V, 9) legitur *εἰς περιποίησιν σωτηρίας*. Quum cognitum habeamus, plurimis locis a PAULO dici *τὴν σωτηρίαν* nobis concedi a Deo; constantissime Apostolo esse Deum auctorem et effectorem salutis; homines semper nuncupari *σεσωσμένους, σωθῆναι, σώζεσθαι* (de l. Phil. II, 12 de industria dicturi sumus § 3[a]): non dubitamus existimare sententiam, qua *ἡ σωτηρία a nobis comparari* dicatur, a PAULI cogitandi ratione et consuetudine abesse. Vocis *περιποίησις* enodatio, quae usu loquendi reprobatur, quae sententias procudit a Paulo alienas, eadem loci nostri conformatione prorsus repelli videtur. Etenim ita composita est oratio, ut opposita sint *εἰς ὀργήν* et *εἰς περιποίησιν σωτ. κ.τ.ἑ.*; quemadmodum P. non dixit: „ad comparandam nobis iram", nec significavit hoc; sed „non damnavit nos ut irâ (meritâ) percamus"; ita postulat concinnitas ut sit antithesis: „sed ut servemur"; inepta vero esset: „sed ut studeamus saluti." *Deinde* adjecta verba *διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν I. Χρ.* jubent nos cogitare de *acceptione* salutis per J. Chr. Rom. V, 9. 1 Tim. I, 15. 2 Tim. I, 9. II, 10. (Chr. causa efficiens *σωτηρίας*) 2 Thess. II, 13. De praep. *διά* c. Gen. vid. 1 Cor. I, 9. Gal. I, 1. Numquid etiam Thessalonicensium confirmetur spes salutis persuasione Deum a se exigere, ut *sibi acquirant* salutem? Immo *Deo* niti hanc spem necesse est. Quid? quod non recte de Thessalonicensibus cum maxime dicitur, quod in omnes omnino homines convenit. Sic facile perspicitur efficacitatem

divinam non obscure hîc celebrari. Etiamsi alteram interpretationem sequi malis, non subterfugias dictam sententiam. *Destinati* enim sunt ut sibi comparent salutem. Itaque non sponte id agunt, sed constitutione divina. cfr. AUGUSTIN. *de corr. et gr.* c. 45. Ex dictis apparet, quam perverse doct. POELMAN (l. l. p. 55) finxerit PAULUM hortari Thessalonicenses ut arma, quibus salutem sibi devincant homines, induant np. fidem et amorem; quod agere eos oporteret, quandoquidem ad salutem eos destinasset Deus.

---

§ 2.

Explanatio locorum, quibus vel memoratur electio vel significatur.

Jam considerandi sunt loci, quibus docemur Deo deberi quod quis credat Evangelium et Christi salutis particeps sit redditus.

Attendamus primum quî praedicationis suae effectus Deo acceptos referat Apostolus 1 Thess. I, 4 sqq. Postquam a Deo electos fuisse Thessalonicenses dixit vrs. 4., deinde memorat efficaciam Evangelii in ipsis, qua cognoscat electionem. Non *ἐν λόγῳ μόνον*, quod saepius evenit, fuit Evangelium, sed *ἐν δυνάμει καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ*. Non legitur *ἦν* vel *ἐγένετο* vel *γέγονε*, sed *ἐγενήθη*. Urgendam putat passivam significationem LÜNEMANN, ita ut Deum hujus eventus designet auctorem. Fortasse recte, quamquam haud improbabilis enodatio videtur PH. BUTTMANNI (*Ausf. Gr. Sprachl.* II, p. 96) docentis dorica dialecto et deinde *κοινῇ* verbum *γίγνεσθαι* frequentari forma *deponentis passivi*. cfr. WINER, p. 95. Provocat PAULUS ad ipsorum hujus rei conscientiam: *καθὼς οἴδατε οἷοι ἐγενήθημεν* (LÜNEM.: quales simus facti, sc.

a Deo) *ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς*, *propter vos*. Notanda vis praep. *διά* cum Accus. cfr. MEYER *Röm.* p. 117 (*not.*) FRITZSCHE *ad Rom.* I, 197. II, 162. Non declarat praep. *κηρύγματος* vim factam esse *per* ipsos Thessalonicenses (requirebatur *δι' ὑμῶν*); sed quales facti sint Apostoli ad ipsorum emolumentum, ipsorum causa. Quo factum sit ut de iis praedicari possint quae leguntur vrs. 6 sqq. Abest a PAULO arrogantia, qua sibi vindicaret hanc Evangelii efficacitatem. Soli Deo tribuit, qui fecerit ut sua praedicatio „non steterit intra verba" (J. A. TURRETT.), sed fuerit cum magna virtute certaque persuasione. Recte sic composita est oratio ac sententia. Gratias agit Deo quod elegerit Thessalonicenses. Electionem colligit ex eventu. Hinc rursus significat electionem esse causam quod tam prosperos successus habuerit *κήρυγμα* Apostolorum. Efficitur ut *ἡ ἐκλογή* causa sit fidei et vitae Deo probatae. — Luculenter eadem sententia enunciatur Col. I, 12, 13. Gratias agit Deo Apostolus quod idoneos fecerit Colossenses (*ἱκανώσαντι*) ad haereditatem sanctorum (*εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων*). Annectit P. *ὃς ἐῤῥύσατο κ.τ.ἑ.* vrs. 13. Deus eos eripuit e potestate tenebrarum, in qua versabantur, et transtulit (de verbo *μεθιστάναι* vid. RAPHEL. *Ann. ex.* XEN. p. 269 sq. *ex* POL. p. 571 sq.) in regnum Messiae (vid. MEYER p. 24). Aoristo significatur rem *factam* esse, nempe quum ad Christum converterentur. De sententia PAULI recte CALVINUS: „Nascimur filii irae, exsules a regno Dei; sola est Dei adoptio, quae nos efficit idoneos; adoptio autem a gratuita electione pendet." Jam ad hoc dictum perpendas opinionem, qualem commentus est doct. POELMAN, PAULI doctrinam huc redire: „Dei consilium est beare in Christo omnes homines" (*de Praedestin.* p. 23). Si viam tantum aperuisset Deus, neque efficienter ipse traxisset e regno Satanae Colossenses et perduxisset ad regnum Christi, verba nostra edere non potuisset; siquidem illa clarius et evidentius vix efferri posse videntur quam h. l. Nihilo secius contendunt nonnulli oblatione salutis continere PAULUM divinam efficaciam. Quanto melius ejus

sententiam assecutus est CALVINUS: „Quemadmodum opus Dei est nostra a peccati et mortis servitute liberatio, ita et transitus in Christi regnum." — Non aliam deprehendimus sententiam 1 Cor. I, 26 sqq. PAULUS hortatur Corinthios ut suam videant *κλῆσιν* i. e. „quam rationem sequutus sit Dominus in iis vocandis, vel quinam ex iis sint vocati" (BEZA). Sequitur vrs. 27: Deus *ἐξελέξατο τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου*, homines sapientia mundi carentes, qui stolidi existimabantur et idiotae. — Diu Corinthi versatus erat PAULUS multisque praedicaverat Evangelium. Ex quibus qui credidissent, eos sibi elegisse credidit Apostolus Deum, quibus esset Christus *θεοῦ δύναμις καὶ θεοῦ σοφία*. Hoc „sensibus imis" repositum erat PAULI, quibus Christus *ἐσταυρωμένος* non esset *σκάνδαλον* et *μωρία*, eos a Deo delectos esse. Hi *σωζόμενοι*, ceteri *ἀπολλύμενοι* dicuntur. Ignobiles et imbecillos delegit Deus, ut omnem praeciderct causam gloriationis. Ex quo efficitur Deum non reliquisse Evangelii praedicationem, sed sua efficacitate delegisse qui crederent. Nisi hoc existimaverit Apostolus, nihil dixisse videtur. — Jam diserte hoc eloquitur vrs. 30: *ἐξ αὐτοῦ δὲ ὑμεῖς ἐστὲ ἐν Χρ. Ἰ. κ.τ.ἑ.* — *ἐξ αὐτοῦ* initio enunciati ponitur cum vi: *ex illo, illo auctore* vos estis in Christo, qui nobis factus est (denuo addit *ἀπὸ θεοῦ*, quasi non satis extollere possit Deum esse causam) *σοφία κ.τ.ἑ.* Ideo Deus salutis vestrae in Christo sola causa est, ut omnem uni Deo acceptam referatis (vrs. 31). Potuitne PAULUS disertius Deo solidum vindicare quidquid magnum est et dignum et bonum in vita Christiana? Exordium et incrementum a solo Deo repetit. Non genera hominum delegit Deus (v. HENGEL p. 16); sed ipsos (vrs. 30: *ὑμεῖς*). v. WINER p. 204. Non ad externum aliquid electi erant; nam *τὸ ἐν Χρ. εἶναι* hujus electionis effectus est; hoc quoque quod Christus iis sit factus summa omnia vrs. 30. Cfr. vrs. 21: *εὐδόκησεν ὁ θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας*. vrs. 18: *οἱ ἀπολλύμενοι* et *οἱ σωζόμενοι*. Garrire nugas nobis videtur auctor, qui haec scripserit, simulque

persuasum haberet „jam unice Evangelii praedicatione indigere peccatores" (POELMAN). Fides et salus Christiana aptae sunt ex electione; aliam felicitatem sempiternam non novit PAULUS, quam τὸ σώζεσθαι, τὴν σωτηρίαν.

Nunc paulo uberius disputandum est de loco gravissimo, Eph. I, 4. Magnopere refert nostra enarrare hunc locum quam possumus accuratissime, et simul edere specimina, quanta accuratione ac religione Dogmatici in interpretatione sint versati.

Eph. I, 4 sqq. — Post solitam ingressionem instituit Apostolus gratias agere Deo pro salute data in Christo (vrs. 3), quod deinceps exponitur. Adjungit haec proximis particula καθώς, quae Atticis inusitata est. Utuntur hi eadem significatione partic. ὡς. καθώς est proprie particula comparativa; sed saepe, ut in aliis linguis, ita comparationi inservit, ut potius jungat duo enunciata parallela ita ut alterum alterius contineat causam vel explicationem. cf. MATTHIAE, II, p. 1511, KRÜGER, II, p. 291, WINER, p. 526. DE WETTE ad 1 Cor. I, 6 et ad Rom. I, 28, inprimis MEYER ad Joh. XIII, 34. (p. 340); dubitanter WINER ad Gal. VI, 10. Itaque vrs. 4 sq. causam contineri putandum est eorum quae proxime dicta sunt. Enarra: „Benedictus sit Deus, qui nobis omne beneficium spirituale impertierit in Christo; *quippe qui* (sic bene BRETSCHN. s. v.) nos elegerit" etc. Ratio redditur doxologiae, simulque haec explanatur: beneficientia divina quam maxime cernitur *electione*. — ἐξελέξατο. attendas aoristum, rem denotantem simpliciter absolutam. Confirmat hoc additum πρὸ καταβολῆς κόσμου. Ne esset electio res aeterna, excogitarunt quidam interpretationem *decrevit eligere*, manifeste nihil secuti praeter opinionum arbitrium. Sic Apol. Remonstr. „sed *eligendi* verbum isthic (n. l.) pro *decreto eligendi* accipi posse quis dubitat?" Dubitarunt Reformati, dubito et equidem. — ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, *nos*, Christianos quibus inscribitur epistola, ex multitudine Ephesinorum ad Christum transgressos. ἐν αὐτῷ, in Christo (Legi vult ἐν αὐτῷ

ALEX. MORUS. vid. WOLFIUM conjecturam MORI scite et cum causa refutantem. *Cur.* ad h. l.). Jam eadem ratione *ἐν Χριστῷ* ponitur vrs. 3. Omnium beneficiorum Dei Christus est mediator et quasi pararius, et PAULO erat causa omnium bonorum, quae nobis a Patre conceduntur. Quemadmodum autem Christi opus salutiferum a Deo praestitutum est ab omni aeternitate, (Rom. XVI, 25. 2 Tim. I, 9. 1 Petr. I, 20.) sic *in illo* propositum factum est a Deo (Eph. III, 11. Coloss. I, 16. DE WETTE: *„im bedingender Zusammenhange mit ihm."*). Scilicet requirebatur Christi salus, ad quam eligerentur homines. DÄHNE de sua explicatione non laudem habere videtur: *„wenn und in wiefern wir (im Glauben) mit Christo verbunden sind."* *). Namque verba PAULI nequaquam recipiunt illam explicationem. Ut diceret P. quod placuit DÄHNIO, scribere debuerat vel *τοὺς ἐν Χρ.* vel *ἐν Χρ. ὄντας*, vel alia periphrasi. Practerea solita constructio commendationem habet a simplicitate et concinnitate. Quoto enim cuique haec non probetur? Postquam dixit noster Deum nos ornare omnibus beneficiis *in Christo* (vrs. 3) pergit hoc explicare singulatim. vrs. 4 docet electionem factam esse *in Christo*; deinde alia *in Christo* facta esse praedicat Apostolus. — Electio facta est *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, qua de re egimus P. I, cap. IV. Est electio *aeternitatis*. Finis ad quem electi erant indicatur verbis *εἶναι ἡμᾶς κ.τ.ἑ.* „ut essemus" (BENGEL). WINER, p. 374 sq. Atticis quoque consuetus est Infin. post verba *eligendi, constituendi* ad munus aliquod vel conditionem KRÜGER, II, 209. XENOPH. *Ἀπομν.* III, 2, 1. *στρατηγεῖν ᾑρημένος*. cf. III, 3, 1. I, 7, 3. *κυβερνᾶν κατασταθείς*. Quare nihil cogitatione addendum est. Ut Latini dicunt: consul creatus est, h. e. ut consul sit; sic structura Graeca non indicat electos esse ut studeant virtuti, verum ut *sint* (non *fierent*) sancti. *ἁγίους καὶ ἀμώμους*,

*) Idem commentum docere voluit JOANNES DRIEBERGE, d. v. Professor inter Remonstrantes, in opere: *Over Gods voorschikkinge en genade.* p. 153. (e serm. Lat. translata est commentatio quam ad manum habeo).

sanctos (*positive*) et omni macula carentes (*negative*) (MEYER); *κατενώπιον αὐτοῦ*, coram Deo, judice Deo. Respicit Apostolus *δικαιοσύνην θεοῦ* (Rom. III, 22. V, 1. VIII, 33) vi mortis Christi expiatoriae, quod satis evincitur vrs. 5—7. Mire errat BRETSCHN. s. v., reddens: „Dei voluntati convenienter, ita ut placeat Deo." Conditio ad quam electi sunt est justificatio coram Deo; eatenus sunt sancti Col. I, 22. Pergit P. vrs. 5.: *προορίσας ἡμᾶς κ.τ.ἑ.* MEYER probavit HOMBERGII interpretationem: postquam nos praedestinavit adoptandos, elegit etiam nos ut simus sancti. Non recte, opinor. Solet enim, ubi verbum principale est in aoristo, participium aoristi poni. MATTH. II, p. 1132. Non indicat tum id quod praecessit actionem, sed rem simul cum verbo principali locum habentem. XENOPH. *Cyr.* I, 3, 8: (dicebant) *τὸν Ἀστυάγην σκώψαντα εἰπεῖν*. DIOD. SIC. *Bibl.* XI, 31: *καὶ γενναίως ἀγωνισάμενος πολλοὺς ἀνεῖλε τῶν Ἑλλήνων*, non: occidit post pugnam, sed in pugna (HERM. *ad* VIG. p. 773); ib. II, 13: *...ἐνδιατρίψασα ...καὶ πάντων ...ἀπολαύσασα, γῆμαι μὲν νομίμως οὐκ ἠθέλησεν* h. e. per omne tempus, quo morabatur ibi, et omnibus ....fruebatur, nubere noluit. v. XENOPH. *Anab.* V, 8, 14. Id quod per linguam licet jubetur consuetudine PAULI. Nusquam distinxit tempore electionem et praedestinationem (vid. supra). Mire laudat MEYER Rom. VIII, 29. cl. 33. Ipsum contrarium ibi docetur. Nam post *προώρισε electionis* non fit mentio, quippe quae contincatur *praedestinatione*; quos *προωρίσθαι* dixit P. vrs. 29, *ἐκλεκτοί* nuncupantur vrs. 33. Melius igitur statuas eandem rem ab alia parte considerationis vocari (DE WETTE de *προορίσας*: *„Bestimmung dessen, worin die ἐκλογή besteht, und zwar von der positiven Seite, indem Auswahl an sich negativ ist"*.) Unum depingit destinationem ad *υἱοθεσίαν*, alterum electionem, quae cum illa conjuncta est, e ceteris hominibus. cfr. Rom. IX, 11. *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις*. et RÜCKERT ad Eph. I, 5. — *ἐν ἀγάπῃ* (in fine vrs. 4[i]) recte a BENG., GRIESB., LACHM., TISCHEND., HARLESS, DE WETTE, MEYER, al. cum seqq. jungitur. Amor Dei est principium et causa

praedestinationis. Finis hujus est *υἱοθεσία*, adoptio, summum beneficium quod a Christo conceditur hominibus. Per *adoptionem* enim qui abalienato a Deo animo fuerant et divinae irae obnoxii (Eph. II, 3) praeclara adepti sunt jura filiorum Dei; qua *υἱοθεσίᾳ* cernitur salutis Christianae culmen. Namque non solum adoptione e morte et lege liberantur, sed etiam haeredes constituuntur salutis summae regni Messiani (vrs. 14. Rom. VIII, 17. Gal. IV, 7). Qua beatitate majorem praestantioremque non novit nec speravit Apostolus. (cfr. de *υἱοθεσία* MEYER ad h.l. et FRITZSCHE *ad Rom.* II, p. 137 sqq.). De *εἰς αὐτόν* vid. Interpretes. Non autem dicere PAULUM: „praedestinati sumus ut contente studeamus comparandae adoptioni"; sed: „ut adipiscamur jura et privilegia filiorum Dei", non est quod moneam. — Decretum hoc (*προορίσας*) factum est *κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ*. *εὐδοκία* duo notat: I. voluntatem, beneplacitum II. propensam voluntatem. Quae quidem hîc possint usu venire. Illam huic l. convenire arbitror. Primum enim hoc suadere videtur ipsa vox. „Significat proprie in eo acquiescere quod quis probavit" (WETST. I, 269). Scilicet de *verbo εὐδοκέω* hoc dixit WETSTEIN; unde importune duxerunt substantivum *εὐδοκία* Alexandrini. Frequentari verbi significationem: *placet mihi* POLYBIO docet SCHWEIGH. *Lex. Pol.* 278. et congeries locorum ap. RAPHEL. *Ann. ex* POL. et ARR. p. 30 sqq. Inprimis consulenda docta disputatio FRITZSCHII de his vocc. *ad Rom.* II, p. 369 sqq.; qua absolutius nihil. — Quare voce *εὐδοκία* commendari putandum est quod ét contextu ét re, de qua sermo est, flagitari videtur. Nam *benevolentiae* notio jam indicata est vrs. 4. (*ἐν ἀγάπῃ*), ita ut male repetita videatur eadem; *beneplacitum* vero egregie servit contextae orationi, siquidem liberrimam absolutam voluntatem arguit vrs. 9.: *εὐδοκίαν...ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ*; et vrs. 11. sine dubio eadem vi scripsit P. *κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* (de his mox). Accedit ut *εὐδοκία*, ubi ad homines refertur, apte benevolentiam possit denotare; hîc autem non spectet *τοὺς προωρισμένους*, sed actum praedestinandi, cui non tam

benignitatis quam *arbitratus* conveniat notio (v. DE WETTE). Quum enim omnes homines peccaverint mortique sint dediti, certe voluntatis divinae libertas conspicitur, si qui deligantur ex his prae ceteris. Quam notionem ut deleant, etiamsi *benevolentiam* interpreteris, frustra laborant HARLESSIUS et alii.

Longum est uberius explicare quae sequuntur vrs. 6 sqq. Neque opus est, quia contingunt omnino rem nostram, verum eandem non constituunt. Paucis autem dicendum est de vrs. 11, quo regreditur oratio ad propositum, unde exorsa est. Contexit scriptor interruptum argumentum per pron. ἐν ᾧ. Continuo legitur in *Rec.* ἐκληρώθημεν. LACHM. in textum recepit ἐκλήθημεν (A. D. E. F. G. *It.*) quod jam commendarat GRIESB., probarunt RÜCKERT et REUSS (*Hist.* II, p. 133). Rectius *Receptum* defendere videntur BENGEL, WETST., TISCH., HARL., MEYER, DE WETTE, alii, ét ob difficilem verbi κληροῦσθαι explicationem, ét ob insolentius illud κληθῆναι ἐν Χριστῷ. Glossemati convenienter et verbi κληροῦν significationi vulgatae plerumque explicatur: in quo vocati sumus „non quod jus nostrum esset potius, sed *quasi* forte ex aequalibus primum lecti, ordinis causa". (WETST. II, 240). Verum enim vero hac interpretatione nihil ineptius. Citius legerim ἐκλήθημεν. Nam praeterquam quod divinae voluntatis arbitrium significanter hoc ipso vrs. effertur, et non minus premitur vrs. 5. et 9.; cui, quaeso, probabile ex *casu* suspensam esse electionem credidisse PAULUM, cui potius persuaderet animus ut pro pietate vel minores res quam salutem Messianam voluntate Dei fieri et dispensari crederet! Ut quisque est prudentissimus animique altissimi et optimi, ita maxime fastidit casum sortemve. Electionem autem ex Dei moderatione aptam esse, cum alibi luculenter docuit noster, tum imprimis Rom. IX, 6 sqq. ita evidenter ut rationi diversae nullus locus sit. — Itaque delegamur ad rariorem dictionem κληροῦν τινί τι, *attribuere alicui aliquid*: PIND. *Olymp.* VIII, 15. ὕμμε δ' ἐκλάρωσεν πότμος | Ζηνὶ γενεθλίῳ. (DISSEN), qua sententia compositum ἀποκληροῦν usitatius fuisse videtur. Temere ét hace verbi signi-

ficatio negatur ét omnino *passive* sic dici κληροῦμαι, *mihi conceditur aliquid*, quum satis constet objecta etiam remotiora solere Graecos transferre in subjecta, ubi genera verbi transmutentur. ARISTOPH. *Vesp.* 686: ἐπιταττόμενος. XENOPH. *Ἀπομν.* IV, 2, 33: φθονηθείς. EUR. *Suppl.* 521. (MARKL.) al. v. KRÜGER II, p. 154. Jam ex usu Paulino vocis κλῆρος constituenda est notio verbi. De κλῆρος et κληρονομία summam felicitatem in regno Messiae obtinendam declarantibus vid. praeter Criticos ad n.l. FRITZSCHE *ad Rom.* I, p. 230 sq. II, p. 147. Translata est vox et res a terra promissa, unde abiit ad formulam theocraticam (נַחֲלָה). Erit igitur ἐκληρώθημεν: in quo nacti sumus regni Messiani haereditatem, felicitatem. — Ne vero opinarentur hanc ex merito concessam, apponit P. προορισθέντες, nos qui praedestinati sumus (ad hanc haereditatem) κατὰ πρόθεσιν τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Pulcre nostrates: *wij die te voren verordineert waren na het voornemen des genen, die alle dingen werckt na den raet sijns willens.* Non casu aut forte fortuna alter accepit haereditatem, alter eadem excidit. Electionem s. praedestinationem ad κληρονομίαν moderata est Dei πρόθεσις, propositum ejus, qui etc. Quae sequuntur addidit scriptor ad instar attributi τῆς προθέσεως. Sicut Deus ἐνεργεῖ τὰ πάντα κ.τ.ἑ., sic quam maxime libera haec Dei ἐνέργεια pertinet ad propositum, secundum quod moderatur *electionem* (vrs. 4) et donavit felicitatem Messianam olim consummandam, Rom. VIII, 24. — De verborum, unde ducuntur βουλή et θέλημα, propria vi in varietate sunt docti; EUSTATH. *ad Iliad.* I, 112. contendit βούλομαι esse ἐπίτασιν τοῦ θέλειν. AMMONIUS illud ἐπὶ μόνου λεκτέον τοῦ λογικοῦ, hoc autem etiam ἐπὶ ἀλόγου ζώου. (Vid. WETST. I, p. 234). Haec falsa esse videntur. MEYER: βουλή: *der etwas Bestimmtes bezielende Willens-act*; θέλημα: *das Wollen an sich* (*Eph.* p. 46). Melius mihi videtur intellexisse rem BUTTMANN *Lexilog.* (*ed.* 2ae) I, p. 26 sqq. In eandem fere sententiam praeclare enodantur verba ab editoribus novissimis *Lex. Passov.* I, p. 779. Quamquam, qui diligenter locos

Graecorum inspexerit, sibi facile persuadebit non semper memores fuisse discriminis ipsos Graecos. Sed haec hactenus. Nunc videamus quid sit *ἡ βουλὴ τοῦ θελήματος*. BRETSCHN. in *Lex.* s. v. reddit: *decretum voluntatis*. Recte. *βουλή* enim decretum, consilium Deorum significat. *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή Iliad.* I, 5. HEROD. VI, 101. POLYB. XIV, 6, 9. „vox *βουλή* rationem indicat, qua supremum numen *τὸ θέλημα* exsequitur, Dei decretum" (TIJSSEN, vir elegantissimae doctrinae, *Anthrop. Paul.* p. 141). Manifeste liberrimam voluntatem Dei depicturus quasi cum sermone luctatur PAULUS. Laborarat idem inde a vrs. 4. Hoc jam ita agit vrs. 11., ut decretum servandi eos, quos significavit ante, *voluntate divina* factum esse nunc luculentissime efferat (*θελήματος* est genit. subjecti). Audias ED. REUSS (*Hist.* II, p. 133) de n. l. haec habentem: *„celui qui opère toutes choses selon le bon plaisir de sa volonté; phrase dans laquelle le mot βουλή serait fort oiseux, s'il ne devait faire ressortir cette absolutié"*. Jam vero quum qui utantur salute et hacreditate Messiana ad hanc sint praefiniti arbitrio voluntatis divinae; neque non multi fide Christo non habita hujus sint expertes, ideoque non praestituti ad consequendam salutem per Christum: non video equidem rationem qua *absolutum decretum* subterfugias.

At alii hanc viam reperisse sibi visi sunt. Cognoscendae sunt igitur et perpendendae nobis nonnullae loci n. interpretationes, quibus diversam sententiam ex verbis tractatis elicuerunt. Jam continuo evinci potest male a GROTIO aliisque cogitatione additum esse „si et homines faciant quod debent". Nam praeter quam quod in textu non leguntur haec cogitata, totam pervertunt sententiam, quippe quae quod his contrarium est ipsum prae se ferat. Oblique quidem, sed tamen diserte testatur GROTIUS veritatem nostrae explicationis. Nimirum desperatissimo hoc perfugio usus rem suam convicit ipse vir unicus, de quo acerbius quidem, nec tamen inepte BILDERDIJK, poetarum nostrorum princeps: *De fakkel van zijne Eeuw, wiens weêrga nooit verscheen; wien niets te duister was dan 't*

Godsbesluit alleen. (*Mengel.* III, 94). Certe quominus PAULI de hac re sententiam comprehenderet impeditus erat. Non melius de l.n. judicat BRETSCHN. (*Handb. d. Dogm.* II, p. 132): „*Auch* Eph. I, 3 *ff. spricht Paulus, er mag nun bloss an sich* (nihil absurdius) *oder an alle Christen denken, bloss davon, welch ein Vorzug es sey, dass Gott sie, die Christen zu Ephesus, zuerst vor Andern zu Verehrern Jesu und Theilhabern seiner Wohlthaten gemacht habe*"; sic notiones „severas saevasque" temere eliminasse sibi visus. Non memor fuit vir erud. his non tam oppositos esse qui postmodum fiant Christiani, quam qui non fiant. Male ponit BRETSCHN. etiam his beatitatem exspectandam esse, quod toti N. Foederi reluctatur, nominatim PAULO. Quae si tecum animo volutes, dedisse et ipsum BRETSCHNEIDERUM testimonium persuasum habes veritatis explanationis nostrae. Vid. SCHLEIERMACHER *WW. zur Theol.* II, p. 433 sq. Miram nescio quam interpretationem proposuit praestantissimus NEANDER (*Gesch. d. Pfl. und L.* etc. *ed.* 3. II, p. 712.). H. l. significari opinatus est v. cl. „*die Grösse und Sicherheit der Christenwürde*"; tum etiam, Christianismum prae Judaeismo non esse novum, neque huic postponendum; immo longe antiquissimum illud, quoniam electio in Christo praecesserit populi Judaei electionem; et sic porro. Haereo quid contra disputem, quum ea difficillime repellantur quae a nulla parte verum contingant. Dixerim bona venia immortalis viri manium, ne verbo quidem aut elemento sententiam dictam significatam esse videri n.l. Mirabilius etiam hunc locum tractavit DÄHNE, majore acerbitate in formulam Calvinianam conspicuus, quam argumentorum pondere gravis et in explicando ingenii acumine. Vide ut invitus nostram rationem comprobet contrarie studens, p. 172 sq. l. c. Sententiam quam nos defendimus omnino *videri* hujus loci propriam esse fatetur DÄHNE: *Duo* autem obstare gravissima sibi, nobis leviora, quippe quae haud dubitanter lingua improbentur et ratione. *Prius* quod opponit v. d. huc redit: „Universe sinceros Christianos fidem Christo habentes Ephesios esse cen-

sere poterat Apostolus; ut solebat, de universis coetibus praedicat, quae in partem eorum tantum conveniunt; hos autem significasse Apostolum statuendum est". *Alterum*: „Hujus laudis *conditionem* effert vrs. 4, ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, h. e. in quantum per fidem cum Christo simus conjuncti; insuper vrs. 11". Male haec cohaerere, qui adspexerit, penitus cernat idem. Prius enim cunctos veros Christianos esse omnes contendit; postmodum aliquos excipit (meliores videlicet quam bonos), de quibus haec praedicata sint. Sed ejusmodi missis tentemus DÄHNII rationes. Fraudem factam legibus interpretationis in explicando vrs. 4. (ἐν αὐτῷ) supra jam notavimus; neque melius defenditur commentum vrs. 13°, de quo vidd. Interpretes. Quod autem non ad omnes pertinere contendit dicta vrs. 4 sqq., mirificum est. Sic enim evincitur severissima praedestinationis doctrina, quam *cane peius et angui vitat* ipse. Singuli e Christianis tunc electi esse feruntur ad aeternam beatitatem. Sic v. HENGELI aliorumque sententiae repellantur, PAULUM nusquam discrimen statuisse inter ipsos Christianos; semper spectare *electionem* Christianos e Judaeis et Gentibus delectos. Multis scrupulum exemerit DÄHNIUS. Verum dubito an paucis persuaserit. Ne unum quidem novi specimen, quo efficiatur Apostolum distinxisse *vere credentes* a Christianis qui *nomine* dumtaxat essent. Manifeste n. l. omnes Christianos Ephesios complectitur voce ἡμᾶς. Hi electi erant e decreto divino et praedestinati. Omnes credebant in quantum P. potuit judicare; pro horum ipsa fide gratias agit Deo; haec fides principem locum obtinet ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ (vrs. 3); eandem ex *electione ante primordia rerum* repetit una cum omnibus huic conjunctis secutisve (vid. vrs. 7, 13, 15). Utramque rationem DÄHNII contra nostram de h. l. sententiam futilem cognovimus: quibus exceptis illam valere arbitratus est ipse. Ceterum ubicumque DÄHNII ratiunculas narrare debemus, venit nobis in mentem Homerica illa ἀχλὺς θεσπεσίη. Artificiosam MEYBOOMII l. l. p. 240 sq. explicationem interpretum nemo unus probet. Cui enim injiciatur suspicio verba

ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν Χῳ. declarare: „ante mundi primordia Christi salus ordinata est."? Majus hoc est arbitrium opinionis, quam ut cuiquam placeat. Disertius quam n. l. edisserere non potuit Apostolus *hominum* electionem factam esse ante mundi exordium vrs. 4, 5, 11. Rei quam defendere conatus est v. d. imbecilitatem sponte produnt talia monstra exegeseos. Tamen ei assentatus est nescio quis scriptor in: *Kerk. Courant*, 1852. n°. 7, qui confidentius quam doctius rem suam egisse nobis videtur.

Optime synodus *Dordr.* sententiam hujus loci sic reddidit (*Canon.* I, 9. ed. VINK. p. 406): „Eadem haec electio facta est non ex praevisa fide fideique obedientia, sanctitate aut alia aliqua bona qualitate et dispositione, tanquam causa seu conditione in homine eligendo praerequisita, sed ad fidem, fideique obedientiam, sanctitatem etc. Ac proinde electio est fons omnis salutaris boni: unde fides, sanctitas et reliqua dona salvifica, ipsa denique vita aeterna, ut fructus et effectus ejus profluunt". Paucis illustrandum hoc videtur.

Primum quidem apparet dignitatis humanae respectum alienum esse a loco. Nam electi sunt antequam aliquam habere possent. Tum apposite monuerunt patres Dordr. „non legi: quia eramus sancti, sed ut essemus". (l.l. p. 407). Vid. cl. VINKE ad l. Ex quibus aestimari potest talis sententia qualem proposuit PH. à LIMBORCH (*Theol. Chr.* Lib. VI, Cap. III, § 4.): „fidem non sequi electionem, sed praecedere; neque electionis esse effectum, sed conditionem praerequisitam ad electionem; objectum autem electionis non esse nisi hominem fidelem".

Verum ita quum nimis aperte palamque videretur multis detrahi de verbis Apostoli, substituerunt aliam notionem, non minus menti PAULI contrariam. „Puerile est cavillum illud sophisticum: non ideo nos electos esse, quia jam essemus digni, sed quia dignos fore Deus praevidebat" CALV. (*Comm.* II, p. 6). De praevisa hac fide vel dignitate deinde de industria disputamus, quare hîc monemus solum, quam inepte huic loco inculcata sit ista opinio. — Redarguit eam conti-

nuo illud *εἶναι ἡμᾶς ἁγίους κ.τ.ἑ.* Non sine causa dictitabant veteres, quod sit electionis fructus et effectus, non posse eiusdem esse causam et effectionem. „Si elegit nos ut sancti essemus non elegit quia futuros tales praevidebat. Pugnant enim inter se haec duo, habere pios ab electione ut sancti sint, et ad eam ratione operum pervenire" CALV. (*Instit.* III, 22, 3.) Eidem assentior dicenti „si quid praevideret in nobis Deus electione dignum, omnino contrarium, quam hîc legatur, dicendum fore" (*Comm.* l. l. p. 7); et AUGUSTINO: „Dei gratiam non invenire eligendos sed facere" (*de praed. sanct.* c. 17). Id quod identidem iterata voluntatis et consilii et *εὐδοκίας* mentione satis superque efficitur. Nisi forte haec cuncta quia *odiosa*, habentur *otiosa*.

Videmus toto loco celebrari efficacitatem Dei in eligendo et praedestinando. Cernimus electionem esse primum quidem ut fiant Christiani; sed tamen non aliam quam designationem ad summam felicitatem Messianam, sempiternam illam; tum ad singulos e Judaeis et Paganis pertinere electionem, minime vero de Judaeis vel Gentibus universis; qualis respectus alibi (Rom. IX) habeat sane *speciem* veri, at l. n. importunissime affingeretur. Percipimus denique fictitiam esse fidem praevisam et aliud quocumque vel minimum de unius Dei efficientia in salute dispensanda Messiana detrahatur. BEZA: „vide ut omnia sine exceptione tribuat Dei gratiae".

Huic loco subjicimus alium non minus notabilem in hac re, neque minus acerbas passum vexationes.

2 Tim. I, 9. Ut filium carissimum cohortetur Apostolus ad perpessiones et incommoda pro Evangelio Christi fortiter bonaque cum spe ferenda et animum ei addat, Dei amorem commemorat erga eos, qui per Christum ad veritatis cognitionem pervenerunt. Eadem ratione usus atque Rom. VIII, 28 sqq., ubi e praeclara divina gratia, Christianis data, concludit Deum ipsos non defecturum; h. l. TIMOTHEUM admonet, quanto amore ac gratia eum sit prosecutus Deus vocando ad Christum et servando eum; quare non destiturum Deum de amore cura-

que TIMOTHEI. — *τοῦ σώσαντος ἡμᾶς καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ*. De verbis *σώζειν* et *καλεῖν* jam dictum est. Vocatur vocatio *ἁγία*; quod quî explicem haereo; BENGEL: „quae tota ex Deo est et nos totos Deo vindicat". DE WETTE: *heiligend*; HUTHER indolem (*das Wesen*) *κλήσεως* significari putat. — Habemus hoc in numero aenigmatum qualia in hac Epistola inveniuntur plura. *τὴν κλῆσιν* non de vocatione ad Apostolatum, sed, ut solet, de vocatione ad regnum Messiae intelligendam esse suadet ipsa vox et verbum praecedens *σώζειν*. Jam unde manarit haec servatio indicatur sqq.; „vocavit nos Deus ad vitam aeternam: sed quid si nostris operibus, integritate nostra inductus hoc fecerit? Respondet Apostolus, ac falsas causas removet initio, ut veras substituere possit" (B. ARETIUS ad h. l.). Causae non sunt igitur *ἔργα* nostra, sed *ἰδία πρόθεσις καὶ κ.τ.ἑ.* Ut in sola Dei *προθέσει* salutem repositam esse majore vi enuncietur, praemittitur vox *ἰδία*. Graecis plerumque opponitur adj. *ἴδιος τῷ ἀλλότριος*; *ἰδία γνώμη* AESCH. *Prom.* 543. *οὗτοι τὰ χρήματ' ἴδια κέκτηνται βροτοί* EURIP. *Phoen.* 558. *φίλων οὐδὲν ἴδιον Andr.* 376. Seriore Graecitate interdum valet vi pron. possessivi; sed „multo frequentius vi sua pronomini ante substantivum ponderose collocato respondere" vocem *ἴδιος* docet FRITZSCHE *Ep. ad R.* II p. 208 sq.; vertas: secundum suum ipsius propositum. — Explicatur hoc additis *καὶ χάριν κ.τ.ἑ. καί* habet vim explicativam. cfr. KRÜGER *ad Anab.* p. 496. KÜHNER *ad 'Απομν.* I, 1, 7. MATTH. II, p. 1482. Reddendum: *dico autem, et quidem* (FRITZSCHE II, p. 339. I, p. 16.) Itaque illustrationis causa additur *χάρις*, ita ut in gratia consistere ex eaque progressam *τὴν πρόθεσιν* significare videatur scriptor. Habemus ergo *gratiae* et *propositi* notiones Quae sequuntur optime illustrantur loco modo explanato Eph. I, 4. Quemadmodum ibi dicitur facta esse electio *πρὸ καταβολῆς κόσμου*, qua cernatur summum beneficium nobis in Christo datum (vrs. 3), ita h. l. gratia nobis data est *πρὸ χρόνων αἰωνίων*. Vocabulis *αἰῶνες, χρόνοι αἰώνιοι* al. utuntur scriptores sacri, ut et Graeci, ad declarandam *aeternitatem*.

Si quis hoc neget, totam aeternitatem illis ignotam fuisse censeat necesse est. 1 Cor. II, 7, eadem vi pollet qua l. n. *πρὸ τῶν αἰώνων*. Si intelliguntur *χρ. αἰώνιοι* de temporibus seculorum, „de omni illo tempore quod a condito mundo incepit, quod inde porro fluxit fluetque in omne aevum" (WITSIUS): ante haec secula non amplius habentur tempora; quodque *ante* haec factum sit, ante mundum conditum, i. e. ab aeterno factum esse videtur. „Ante tempora enim non fuit nisi mera aeternitas et quod ante tempora est, id vere aeternum est; sic enim describi solet aeternitas Ps. XC: 2." (CALOVIUS). — Recte autem dicitur gratia data esse ex aeternitate, siquidem eodem tempore electio facta est, h. e. decretum salvandi, quod ipsum *gratia data* dici potest; ut verbis DE WETTII utar: *„was Gott in der Ewigkeit beschliesst, ist so gut als schon verwirklicht in der Zeit"*. (*K. Erkl.* s. 30).

Aliam loci n. interpretationem defendit cl. VAN HENGEL l. l. p. 16. ad quam accedere non possumus ob varias causas — Considerata significatione dictionis *πρὸ χρόνων αἰωνίων* Tit. I, 2. non fieri posse existimat v. HENGELUS quin eandem illi subjiciamus sententiam 2 Tim. I, 9. Itaque *διδόναι* hîc valere: *polliceor*, et referendum ad promissionem Gen. III, 15. — Paucis exponam, quare in clar. viri opinionem non discedam. Ac primum quidem explicationem l. n. suspensam fecit ex loco, cujus explanationem e nostro potius pendere oportebat; nisi forte obscura e claris, ex usitatioribus nova explicanda esse censemus potius quam contraria. Jam constat neque singulis vocabulis neque uno loco parallelo commendari v. HENGELI interpretationem loci ad TITUM. Contra 1 Cor. II, 7. certe pertinet ad aeternitatem. Praep. *πρό* omnem dubitationem tollit (v. supra). Quidni scripserit PAULUS *ἀπὸ χρ. αἰωνίων*? ut fecit Eph. III, 9. Col. I, 26. Praesertim cum videamus *πρό* et *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* bene a ss. SS. discerni, et nusquam usos *πρό* ubi ineptum foret. Joh. XVII, 24. Eph. I, 4. 1 Petr. I, 20. — Incertus sum equidem quid de l. statuam; utrum melius extenuetur temporis significatio, an dissolvatur

verbum in: *decrevit promittere*. Hoc certe audacius dicatur. — Brevi: non ejusmodi compositus est locus ut magna ei sit tribuenda auctoritas in alia dicta; eo minor quo vehementius offenduntur adjuncta. Id quod hîc usu venire videtur. Etenim praeterquam quod simplicior exegesis dictionis πρὸ χρ. αἰωνίων deseritur, verbum δίδωμι explicandum est ac si ἐπαγγέλλομαι esset scriptum. Hujus permutationis nullum exemplum dat v. cl., nec ego scio. Quae ab aliis allata sunt avi mala in medium venire videntur *). Ejusdemmodi nos latet ratio,

*) Paulo fusius de hac re disputandum est, quum videam multos inepta docuisse. Quandoquidem Graecorum Praesens et Imperfectum depingebant rem nondum peractam, sed *durantem*; et horum temporum erat rem *futuram*, quae contingeret hanc aetatem, proponere tanquam *praesentem* (v. KRÜGER II, p. 165 sq.); factum est ut verba quaedam, quorum actio non contineretur subjecto, sed, ut absoluta esset ac integra, indigeret alterius consensu, probatione, opera; ut haec verba, in Praesente et Imperfecto posita, usurparentur de *conatu rei faciendae*, vel potius efferrent actionis eam partem quae pertineret ad *unum* subjectum. E. c. verbum *dare*, ut sit plenum, postulat *accipere; mittere* desiderat *abire*; *persuadere* demum ratum fit ubi *obtemperatur* vel *auscultatur*. Itaque haec tempora verbi διδόναι valent idem atque *offerre*, πείθειν *suadere*. Diligenter autem caveas ne ipsi verbo tribuas quod solum ad tempus verbi pertinet, neu opineris „verba in aliam significationem prorsus transire"; id quod opinatus BREITENBACH *ad Hier.* p. 19 sqq. verissimam FROTSCHERI loci Xenophontei explicationem pervertit. Simulac cetera tempora recipit verbum, evanescit adumbrata notio; ego certe sic reperi. Excitabo nonnulla exempla, quibus optime illustretur hic usus nominatim verbi διδόναι. THUCID. I, 140: οὔτε ἡμῶν διδόντων [δέχονται] „nobis dare paratis", minime vero „pollicentibus nobis". cf. I, 33. THUCID. IV, 19: οἱ Λακεδαιμόνιοι δὲ ὑμᾶς προκαλοῦνται ἐς σπονδὰς....διδόντες μὲν εἰρήνην καὶ ξυμμαχίαν κ.τ.ἑ. Illustria specimina praebet HERODOTUS; III, 148: ὃς λαβεῖν μὲν διδόμενα οὐκ ἐδικαίευ, nimirum „recipienda non putavit quae sibi *offerebantur*"; absurde de *promissis* cogitares. Eodem modo usurpatur V, 94. Imprimis memorabilis est locus lib. IX. cap. 109: ἀλλὰ πόλις τε ἐδίδου καὶ χρυσὸν ἄπλετον....ἀλλ' οὐ γὰρ ἔπειθε, (non poterat persuadere mulieri ut acciperet urbes *oblatas*) διδοῦ τὸ φᾶρος, „*dabat* amiculum." Videmus auctorem in proxima vicinitate usurpare idem verbum, quo jam sentias non significare diversa. cap. 111: οὔτε γὰρ ἄν τοι δοίην θυγατέρα τὴν ἐμὴν γῆμαι.... „non dabo nuptum tibi filiam meam" (attendas aoristum) ὡς μάθῃς τὰ διδόμενα δέκεσθαι, „ut discas accipere *oblata*". Notionem *pollicendi* alienam esse nemo non perspicit. Idem observari potest in his aliisque locis Xenophonteis. *Cyrop.* V, 1, 22. III, 3, 34. *Anab.* I, 3, I. VI, I, 19. VI, 3, 9. *Ages.* IV, 6. (BREITENB. a. l. p. 62). *Hell.*

cur *promissum* significaturus non exararit *ἐπαγγέλλομαι* vel sim.; sed *διδόναι*, et quidem *δοθεῖσαν*. Quid? quod aptissime dictum videtur hoc, illud non item. *Πρόθεσιν* Apostolo dici de proposito aeterno satis jam superque apparuit. Huic subjungit explicationis gratia *τὴν χάριν*, quae data sit nobis ante mundi primordia. Quî *πρόθεσις* sit intelligenda, interpretatione v. HENGELI inita, non video; praesertim si loco ad TITUM non significasse censemus PAULUM promissionem Gen. III, 15., sed (HUTH. DE WETTE) idem quod Rom. I, 2. (Luc. I, 70). In qua interpretatione molestior etiam est ratio *τῆς προθέσεως*. Porro insolentius videtur illud: quae nobis promissa est in Christo. Necesse est denuo adjiciatur aliquid cogitatione; contra ex altera explicatione hoc egregie illustratur Eph. I, 3 sq.; praeterea dictio Apostolo frequens est; v. Rom. XII, 3. XV, 15. 1 Cor. III, 10. (de munere apostolico). Rom. XII, 6. — Postremo attendamus q. d. loci *pragmatismum*. Cur scripsit P. verba *κατ' ἰδίαν κ.τ.ἑ.*? Scilicet ut substitueret causam salutis et vocationis veram pro illa quam rejecit tanquam falsam (*τὰ ἔργα ἡμῶν*): „non servati sumus secundum opera nostra, sed secundum Dei propositum, liberam dispensationem, et gratiam etc." Celebratur divina efficacitas in salute et vocatione. Quid autem huic rei inserviret mentio promissi alicujus? Immo quod

V, 3, 14. cf. KRÜGER *ad Anab.* I, 3, 1, et KÜHNER *ad Ἀπομν.* II, I, 14 Accurate notiones *offerendi* et *pollicendi* distinxit HOMERUS *Iliad.* IX, 519: *νῦν δ' ἅμα τ' αὐτίκα πολλὰ διδοῖ, τὰ δ' ὀπίσσεται ὑπέστη.* Similiter LIVIUS XXXVII, 53: filiam suam in matrimonium mihi *dabat*. cf. CIC. I *Catil.* 5, 13. De causis ac ratione hujus usus Praesentis et Imperfecti v. KÜHNER II p. 67 sq. BUTTMANN *Gr. Gramm.* (ed. 17) p. 377. Male his intellectis RAPHELIUS (*Ann. ex* XENOPH. ad 1 Cor. XV, 57. p. 230 sqq) significationem *pollicendi* importune adjudicavit verbo *διδόναι*. PALAIRETUS etiam (*Observ. phil.-crit.* p. 417) laudato loco ISOCRATIS, qui explicandus est ex regula narrata. De I Cor. XV, 57. non agimus, quandoquidem et cl. v. HENGEL strenue primariam verbi significationem ibi defendit. Reliquit autem vir eruditus quaestionem, quid de verbo *διδόναι* alibi sit statuendum; hoc tantum monens, se plures veterum locos excitare posse, in quibus *primo aspectu* notionem *pollicendi* habeat nostrum verbum. (*Comm. ad* 1 *Cor.* XV, *p.* 241). Si revera etiam habeant, vellem excitasset vir cl. Meam scientiam fugiunt exempla.

data est gratia nobis aptatum est ad pragmatismum. Acuitur sententia addita temporis definitione. Universe reddi potest: „ante quam nos essemus, data est nobis" (BENGEL). Bene exponit CALVINUS ab ordine temporis argumentari Apostolum salutem gratis datam esse. HUTHER a. l. p. 212: *„ist die Mittheilung der Gnade eine vorzeitliche, in dem ewigen Rathschluss Gottes beruhende, so ist sie um so weniger von den Werken des Menschen abhängig zu denken"*. Non aliter Eph. I, 4. Rom. IX, 11. — Ob hasce causas improbandam esse opinionem v. HENGELI putavimus, simulque strenue vulgatam interpretationem vindicandam, quippe quam et hermeneutica commendet nobis, et sermo ratioque. (cfr. WOLF. *Cur. ad h. l.*).

Non dubie sermo esse nobis videtur de decreto divino, quod alias dicitur *electio*, quae facta est ante mundi primordia et ex sola Dei voluntate. — Alii tamen aliam sententiam deprehenderunt. Fuerunt qui interpretarentur locum de Dei consilio servandi *credentes*. Hanc opinionem, rudius antea explicitam, suo more exornavit DÄHNE; sed *primum* nec fides memoratur neque credentes, neque ullum vestigium adest PAULO haec in animo fuisse. Quo jam nobis movetur suspicio sententiam hanc non deberi dicto PAULI ad TIMOTHEUM. Accedit quod rite perspecta antithesis excludit respectum *fidei*. Solet quidem P. τὰ ἔργα opponere πίστει; sed solemni hac significatione l. n. non usurpari docet antithesis. Hîc continetur τοῖς ἔργοις quidquid ab ipso homine praestetur, sive fidem sive opera voces. Vindicatur salus et vocatio Deo, ejus voluntati et gratiae. Fidem talem informantes ut conditionem qua obtineatur salus, penes hominem statuimus causam salutis ultimam; quo simul imminuitur vis sententiae Paulinae, qua penes Deum esse praedicatur. Nisi fidem etiam κατὰ πρόθεσιν καὶ χάριν dari homini existimemus, fieri non potest ut non ipsa fides, utpote ab homine profecta, contineatur τοῖς ἔργοις quibus opposita sit gratia. Rom. IX, 11. XI, 5, 6. Eph. I, 4 sq.

Verum, etiamsi haec non ita essent, tamen absurdum sit

quaerere h. l. decretum quoddam generale, quum vox κλῆσις satis indicet designari privos homines, non qualitates praescriptas. Deus dicitur σῶσαι (non: *decrevisse* σώσειν) et adduxisse ad Christum, ut propositum erat; cognitio veritatis et hereditas Christi regni ipsis praefinita erat, quin ex aeternitate data (Joh. XVII, 11). Quomodo hîc denotari consilium illud transscendens u. i. d. contendi possit, quod singulos non spectet, nisi quatenus ad universos pertineat, non perspicio. Sed autem putidam esse opinionem *electionem* ratam fieri *si* credant, perspicio etiam. Recte LUTZIUS universe monet de II. Paulinis, quod in nostrum quoque convenit, „*dass wenn sie von einer bedingten Erwählung gedeutet würden, diese Ansicht jenen Stellen eine unerträgliche Leere geben würde, welche ihrem bewegten Context bei der Innigkeit und dem Gefühle, womit davon die Rede ist, durchaus fern ist.*" *Bibl. Dogm.* s. 203. — Praetereo commenta quaedam, e. c. BRETSCHNEIDERI (*Handb. der Dogmat.* II, p. 133), de PAULO tantum et TIMOTHEO sermonem esse et τὴν ἁγίαν κλῆσιν esse „*zum Christlichen Lehramte*" cett. vid. WITSIUS l. l. § 17 sq. 20.

---

§ 3.

Reliqua testimonia de efficacitate divina.

Tertia hujus capitis particula complectimur locos quosdam, quibus non tam *electionem* explicuisse videtur PAULUS, quam tuitus esse unam divinam efficacitatem solamque in fide saluteque hominum perficienda.

2 Thess. I, 11. De vocabulis pauca; ἀγαθωσύνη, vox barbara, quater in N. F. legitur: Rom. XV, 14. Gal. V, 22. Eph. V, 9. et n. l. Significat (ἀγαθός) *bonitatem* vel *honestatem*, virtutem *humanam*, non *divinam*. Male nostrates vertunt: *het welbehagen* (*sijner*) *goedigheyt*, ét usu obloquente (WETST. II,

p. 93) ét contextu. Nam quum uno tenore aliud objectum addatur verbo πληρώσῃ, contortius ad diversa subjecta haec referantur (vid. DE WETTE a. l.). πληροῦν est *absolvere*, *plenum perficere*; ἐν δυνάμει adverbii fungitur vice et declarat *fortiter*, *efficaciter*; cf. v. HENGEL *Interpr. Ep. ad Rom.* I, p. 45. (1 Thess. I, 5. opp. ἐν λόγῳ μόνον) Precatur igitur a Deo ut dignos judicet eos fine vocationis (vita aeterna), et perficiat in iis, absolutum perfectumque reddat omne (πᾶσαν) desiderium, delectationem honesti (*welgevallen aan....*), et fidei opus; hoc ut faciat efficaciter. FRITZSCHIUS (*Ep. ad Rom.* II, p. 372) genit. ἀγαθωσύνης subjectivum habuisse videtur: „ut expleat omnem dulcedinem honestatis, h. e. ut plenam et perfectam, qua recreemini, honestatem vobis impertiat". Haud sciam an non recte hoc ita existimarit vir praestantissimus.

Apposite monuit CALV. (ad h. l.) „non salutis nostrae principium duntaxat gratiae Dei adscribere PAULUM, sed omnes ejus partes"; tum: „At PAULUS in toto salutis cursu nihil praeter meram Dei gratiam agnoscit". Efficacitatem divinam summopere celebrari h. l. quis non videt? Contendas scitam BEZAE admonitionem: „Est igitur fides insigne Dei opus in nobis; neque hîc quidquam Apostolus concurrenti libero arbitrio relinquit".

Eandem animi persuasionem PAULI invenias Phil. I, 6. et locis consonis 1 Thess. V, 24. 2 Thess. II, 16, 17. — Ad Phil. I, 6. notat PISCATOR: „Fidei efficiens procreans et conservans causa est Deus". Recte. Nam ὁ ἐναρξάμενος κ.τ.ἑ., sive explicatur de regni Christi κοινωνίᾳ VRS. 5. (THEODOR. CALV.), sive de communione vel inter se (MEYER), vel cum PAULO in promovenda Christi causa (v. HENGEL. DE WETTE): hoc ipsum quod magnum et honorificum in Philippensibus esset, a Deo repetit. Qui in ipsorum animis inceperit quod omnino bonum est (fidem et virtutem), idem consummaturum Deum, hoc ipsum persuasum sibi habebat PAULUS. V. HENGEL (*Comm. P. in Ep. ad Phil.* p. 49): „Posita litterarum sacrarum do-

etrina, quidquid boni peragatur divinitus peragi, Deum unum boni auctorem memorat". Oratione contexta h. m.: „se vero omnia non ita ad Deum referre, ut hominis excludatur diligentia, ipse seq. in versu luculenter ostendit", an non aliquid dixerit v. cl. dubitaverim. Aut enim alterum de altero detrahit; aut censendum videtur docuisse Apostolum Deum *unum* auctorem esse boni in homine, simulque hominis in eadem re valere diligentiam. — Similiter a Deo exspectat P. (1 Thess. V, 24) sanctificationem plenam et perfectam et *τὸ ἀμέμπτως τηρηθῆναι* Thessalonicenses usque ad *παρουσίαν Ἰ. Χριστοῦ*. cfr. 1 Cor. I, 9, et inprimis 2 Thess. II. 16, 17.

Verum tempus est ut jam hinc abeuntes graviora ac majora nos agamus: quum non aegre ferrem si cui leviores viderentur loci modo tractati, certe ad persuadendum minus apposita dicta quorum nulla sit subtilitas disserendi. At subtilius disputat Apostolus Eph II, 1 sqq.; quare hujus loci sententiam edisserere conducet. Vrs. 1—3 depingit scriptor statum pristinum eorum qui jam Christiani sunt, cum e Gentibus, tum ex Judaeis; erant obnoxii peccatis, morti, irae divinae, brevi: extremae miseriae. Deinde (3—7) extollit clementiam et amorem quo miseros (*ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι*) complexus sit Deus: servandis scilicet iis et omnibus in Christo ornandis beneficiis. Qui haec duo comparaverit, sponte cernat necesse est sola divina efficacitate miserrimos illos servatos esse. Quam quaeso qualemve „diligentiam" a talibus exspectemus? Quid? quod satis indicant verba Apostoli unam Dei efficientiam in hac re cerni, nec suscepisse scriptorem cogitationem de ulla opera humana. — Quod haud obscure hactenus indicaverat, quamquam oblique, explicaturus, continuata oratione vrs. 8. proximae voci *χάριτος* annectit expositionem rei in qua erat omnis. *Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι*; *sunt* igitur *servati*; qua via indicat *διὰ τῆς πίστεως*. Haec fertur *causa apprehendens* salutis; MEYER: „*Modalbestimmung zu σεσωσμ.*" Pergit scriptor: *καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, θεοῦ τὸ δῶρον*. Non referendum hoc ad *πίστιν*, ita ut constructio sit *πρὸς τὸ*

σημαινόμενον: absurde sic diceretur vrs. sq. οὐκ ἐξ ἔργων. Immo pertinet ad σεσωσμένοι ἐστέ. Haec summa sententiae; *salutis* causas exponit P., non *fidei*. Non ex se ipsis salutis participes facti sunt; Dei est gratuitum donum. Vrs. 9. explicatur οὐκ ἐξ ὑμῶν per οὐκ ἐξ ἔργων; hoc autem opponitur Dei gratiae. Unde efficitur antithesin esse inter Deum et hominem, et ineptissime τὰ ἔργα hîc explicari de lege Mosaea, aut de bonis q. d. operibus. „Certo certius est non hîc agi de una operum specie, sed totam hominis justitiam, quae operibus constat, rejici: imo totum hominem et quidquid a se habet" (CALV.). Quod autem hunc locum ita intelligunt nonnulli, ut de divina gratia primum data sermo sit (GROTIUS: „quidquid est in flumine fonti debetur"): huic sententiae scite objecit CALVINUS: „atqui nimis sunt inepti, qui se ita expedire putant, quum P. hominem cum suis facultatibus excludat, non tantum a principio consequendae salutis, sed in totum ab ipsa salute. Bis autem stulti sunt, quod non animadvertunt hanc conclusionem: *Ne quis glorietur*". Bene docet egregius noster SCHOLTEN (l. l. II, p. 84) τὴν σωτηρίαν complexam esse fidem; „*Is dus het σεσωσμένον εἶναι eene gave Gods, dan geldt dit ook van het geloof*". Quidquid ut salvemur requiratur gratia dari dicit Apostolus; nec solida deferatur Deo laus, si cui fidem placeat excipere, hanc ab homine repetenti. Sic enim manet *gloria*, ipsum salutis causam esse suae hominem. Ex quibus efficitur, quam ineptissime POELMANNUS aliique opinentur PAULUM coërcuisse divinam efficacitatem praedicatione Evangelii hujusque vi efficaci in liberum hominem. — Sed videamus sequentia; vrs. 10: αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα. Significanter praemittitur αὐτοῦ; „pronomine αὐτοῦ ceteri omnes prorsus excluduntur" (BEZA). ποίημα dicitur Christianus quia, quum converteretur, quasi denuo formatus, refictus est, quemadmodum alibi de eadem re dicitur καινὴ κτίσις (2 Cor. V, 17) παλιγγενεσία (Tit. III, 5); explicatur hoc verbis κτισθέντες ἐν Χρ. Ἰ. ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς. De his bonis operibus sic pergit scriptor: οἷς προητοίμασεν ὁ θεὸς ἵνα

ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν. — οἷς *per attractionem* pro ἃ (HERM. *App. ad* VIG. p. 889 sqq.): „quae praeparavit ante Deus, ut nos in illis ambularemus". Ante conversionem praeparata esse dicitur vita sancta Christianorum. Quod huc redibit: bona opera quae perficiunt fideles aeque ac ipsorum fides decreto divino constituta sunt antequam haec ipsa prodierunt. Placuit FRITZSCHIO alia interpretatio, proposita in *Comm. P. ad Ev. Matth.* p. 138 sq. Praeiverant VALLA, WETST. (II, 243): „quibus praeparavit nos". FRITZSCHE: „quibus destinavit (nos) Deus, ut nempe vita factisque illa nos referre vellet"; etiam BRETSCHN. Recte quidem KOPPII objectionem sic requiri pronomen ἡμᾶς repellit FRITZSCHE, quum omissum pronomen ob sequens περιπατήσωμεν, cui verbo insit adsignificatio ἡμῶν, idoneam sane habeat excusationem; nec tamen vi destitutum est quod affert acutissimus MEYERUS, ideo omissionem non ferendam esse quod solitâ attractionis formâ in errorem abducantur lectores necesse est. Deinde non habere quo referatur praepositio verbi προετοιμάζειν; ex illa enim interpretatione eandem aetatem spectare hoc verbum et κτίζειν. Quare praeferimus priorem interpretationem, quamquam eadem videtur summa sententiae. Non dubia haec est. Studet Apostolus ut eximat omnem causam qua se efferre possent Ephesii. Solidam eorum servationem divinum dicit esse opus. Et fidei per quam salventur Deum auctorem esse, et ipsam vitam integram qua conspicui essent Christiani (ne hac vel minime superbiant) non esse ex ipsis, sed a Deo ante praeparatam. — Utrum praep. πρό referenda sit ad aeternitatem more Paulino, an simpliciter „temporum praeteritorum memoriam renovet" (v. HENGEL. *ad Rom.* I, p. 36), parum refert. Dum teneamus factam esse praeparationem ante ipsorum natales; caveasque ne de aeternitate interpretatus sequaris BRETSCHNEIDERUM, sententiam PAULI ad sua placita satis libere conformantem: „ad quae nos eo, quod ab aeterno salvatorem decrevit mittere idoneos fecit" (in *Lex.* s. v. προετοιμάζειν). Quis hoc elocuturus uteretur his PAULI verbis? Et OLSHAUSEN arbitrio indulsit dogmatico, ubi de

temporibus et conditionibus (*omstandigheden*) sermonem esse fingit, quibus fieri possit ut homines ad virtutis studium incumbant. Immo ipsa virtus praefinita dicitur. Non solum εἰς δόξαν προετοιμάζει Deus (Rom. IX, 23), verum etiam ad id quod praecedat oportet, εἰς ἔργα ἀγαθά. (REUSS *Hist.* II, *p.* 134).

Praetermissis multis quae „vix digna lucubratione aniculârum" leguntur in Dogmaticorum libris et commentariis, hîc monita laudanda videntur CALVINI et SCHOLTENI egregie sententiam PAULI explicantia. Ille scripsit haec: „Expendant lectores verba Apostoli; non dicit adjuvari nos a Deo: non dicit praeparari voluntatem, ut proprio Marte deinde currat: non dicit facultatem nobis conferri bene volendi, ut nostrum sit postea utrumvis eligere; sed docet nos esse Dei opus: et quidquid est boni in nobis, esse eius creationem, quo significat formari totum hominem ejus manu, ut bonus sit. Non ergo facultas tantum bene volendi, aut nescio quae praeparatio, aut adminiculum, sed ipsa recta voluntas ejus opus est. alioqui etiam non valeret PAULI argumentum. Intendit probare hominem sibi nequaquam acquirere salutem, sed gratis a Deo consequi. probatio est, quod homo nihil sit nisi Dei gratia. Quisquis ergo seorsum a Dei gratia aliquid vel minimum homini arrogat, tantundem illi concedit potestatis ad salutem acquirendam" (*Comm.* II, p. 21). Praestantissimus SCHOLTEN praecise dixit: *„wij zijn Gods maaksel" enz; welke woorden wel niet beteekenen kunnen: „wij worden door de prediking des Evangelies in de gelegenheid gesteld om Christenen te worden en hebben daarvan gebruik gemaakt, zoodat wij nu betere menschen geworden zijn". Integendeel drukt* PAULUS *zijne overtuiging uit, dat de Christen alles, en dus ook zijn geloof aan God te danken heeft, en met betrekking zoowel tot zijne zedelijke als tot zijne physische geboorte een schepsel Gods en mitsdien niets zonder God is".* (*Leer d. H. K.* II, p. 84 sq). Si haec bene disputata sunt, jam refutatus est cl. BAUR, alterum membrum loci (vrs. 8, 9) referre indolem doctrinae

PAULI opinatus, versum autem decimum redolere JACOBUM (*der Ap. Paulus*, p. 453). Male locum interpretatum esse v. cl. e dictis patet. Non enim fidei adstruuntur bona opera „*als letzter Schöpfungszweck*", quod placuit BAURO, ut solet, pravis interpretationibus uso, quibus tueatur sua placita. cf. NIERMEYER, *over den Br. aan de Ephesiërs* p. 334 sq. HARTING de eadem re p. 229 not. et RÜCKERT et HARLESS ad l.

Dicendum mihi restat in hoc capite de loco nobilissimo Ep. ad Phil. II, 12b, 13. Fuit hic palaestra Dogmaticorum. — Maxima difficultas inest in conjunctione duorum versuum. Multis autem lustratis et ponderatis explicandi conatibus cognovi nullum, quo recte explanata videatur sententia PAULI: connexio sententiarum manet mihi dura obscuraque. Quoties dictum hoc Apostoli reputavi, me non poenituit diversae sententiae, quam significaturus sum ubi singula quaedam explicuero. — Ne longus sim, contextus superioris explicatione supersedeo, cuius non clarior ratio quam n. loci, neque igitur hujus interpretationem queat moderari. Relegamus lectorem ad commentarios, qui quoad potuerunt nexum cum superioribus enarrarunt.

Vrs. 12b. PAULUS admonet Philippenses ut perficiant suam ipsorum salutem *μετὰ φόβου καὶ τρόμου*. Male quidam *ἑαυτῶν* pro *ἀλλήλων* acceperunt (v. v. HENGEL). Neque v. HENGELUM sequar potius *vestram ipsi* quam *vestram ipsorum* explicandum esse arbitratum. Quod et contextu (expendas vrs. 12a) et linguae indole reprobatur. Sic enim pron. *αὐτοί* requirebatur. Emphasis sita est in eo ut suam *ipsorum* salutem peragant *). *κατεργάζεσθαι* est: *perficere, peragere.* EUR. *Heracl.* v. 1049. *εἰ*

*) Loci quos excitat v. HENGEL (p. 172) non sufficiunt ut interpretemur *ipsi suam.* Rom. II, 14. XII, 19. 2 Cor. III, 1, non favent, quum sua vis maneat pron. reflexivo. Idem obtineri potest Matth. XXIII, 31. Act. XIII, 46, etsi saepe eodem redire statuendum est utramque sensus conformationem. At longe plerisque locis discrimen observari potest 1 Cor. XI, 28, 31. Joh. XII, 8. Act. XXIII, 14. Significanter compositi sunt loci Rom. VIII, 23. 2 Cor. I, 9. X, 12. Et Graecos etiam rite distinxisse utramque formulam notum est; cf. e. g. HOMER. *Odyss.* I, 7. cum I, 53. v. KÜHNER II, *p.* 329. — Quare satius putamus tueri ipsam formulae significationem, ne forte falsam emphasin loco obtrudamus.

πόλει σωτηρίαν | κατεργάσασθαι.... χρεών· *Bacch.* 1199. τάδ' ἔργα κατειργασμένα. Interpretes in hoc verbo ultra modum nugati sunt. Salus peragenda est μετὰ φ. κ. τρ. „cum summa diligentia" vel potius „ex mente Deo religiosissime devota" (v. HENGEL, MATTHIES). Mire L. DE DIEU dictum putat pro ἐργάζεσθε κατὰ τὴν σωτηρίαν (KEUCHEN. *Annot.* p. 405).

Alter versus aliud quid sonare videtur. „Deus est qui efficit (ὁ ἐνεργῶν) ét τὸ θέλειν ét τὸ ἐνεργεῖν. Non solum factorum hominum et ἐνεργείας auctor est Deus, verum et voluntatis, illorum principii atque fontis, effector. v. HENGEL sic παραφράζει: „et voluntatem vestrae beatitatis perficiendae, et hujus voluntatis exsequendae efficacitatem". Sequitur in textu: ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, quae verba olim cupide arripiebant Ecclesiae nostrae doctores, ut contenderent hanc efficacitatem pendere ex divinae voluntatis arbitrio. — Perpendamus vocabula. praep. ὑπέρ male a nostratibus vertitur: *naar* (*secundum.*) Nullum cognovi locum, ubi sic usurpatur. — Apud Graecos et N. T. scriptores saepe induit causalem aliquam significationem, quae non reddi potest uno verbo Latino et παραφράσει indiget. Lustremus exempla nonnulla. ὑπὲρ ἀρετῆς ἀθανάτου καὶ τοιαύτης δόξης εὐκλεοῦς πάντες πάντα ποιοῦσιν (PLAT. ap. KRÜGER II, p. 327): „ut hanc virtutem et gloriam consequantur". valet hîc Lat. *pro.* Cf. locus egregius DEMOSTHENIS *de Corona* § 97 DISSEN. (p. 258): ἀλλ' ὑπὲρ εὐδοξίας καὶ τιμῆς ἤθελον τοῖς δεινοῖς αὑτοὺς διδόναι· XENOPH. Ἀπομν. IV, 3, 13.: ἀδυνατοῦμεν τὰ συμφέροντα προνοεῖσθαι ὑπὲρ τῶν μελλόντων, „quo fiat ut futura bene constituantur". *). Melius il-

*) Legendum censet h. l. περί magnus L. C. VALCKENAER (*Animadv.* in ed. ERN. p. 249. Minus recte, opinor. Huic l. XENOPH. optime convenire videtur significatio ὑπέρ. Sin vero haec non conveniret, neque correctione opus erat, quum saepe ita usurpentur, ut nihil sit discriminis. v. EDD. *Lex. Pass.* II, *s.* 2068 et SCHWEIGH. *Lex. Pol.* p. 627. Denique monco male a WINERO hue relatum esse mihi videri locum *Anab.* I, 7, 3. Malim KRÜGERUM secutus expungere praepositionem; sin aliter, tamen diversi generis est locus Xenophonteus ab Joh. XI, 4, al.

lustratur usus quem indicamus locis N. T. Joh. XI, 4.: *ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ θεοῦ* „ut illustretur divina gloria". III Joh. 7. Rom. I, 5, ubi FRITZSCHIUS: „hinc lubenter infamiam subeunt et ipsam vitam devovent *ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ* h. e. ut illustre faciant] Jesu nomen, neque committant, ut sua sectatorum ignavia divini magistri nomini ac famae officiat" (I, p. 19). 2 Cor. XII, 19.: *ὑπὲρ τῆς ὑμῶν οἰκοδομῆς*. Rom. XV, 8. ipse scriptor explicat praepositionem. Scilicet Jesus factus esse dicitur Judaeorum minister *ὑπὲρ ἀληθείας θεοῦ*; quid? *εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων*. Significat igitur *ὑπὲρ ἀληθείας θ.*: ut illustrem faceret, celebraret veritatem constantiamque Dei. Idem significatus n. l. requiri videtur, h. m.: ut cognoscatur vel celebretur *εὐδοκία* Dei. Sic fere v. HENGEL, MEYER al. FRITZSCHE *ad Rom.* II, *p.* 372: „ut suam benevolentiam tueatur". Quidquid est: WINERI (p. 459) et DE WETTII explicationem (*wegen d. i. vermöge*, (*nach*)) vim propriam praep. non reddere putem. Similiter POELMAN p. 55: *ex.* — De voce *εὐδοκία* supra diximus (p. 71). Ut Eph. I, 5., sic l. quoque nostro vel *benignitatem* potest declarare vel *voluntatem, arbitratum*. Haereo, quid rectius existimem. Sententia PAULI est: Deus est qui efficit in animis nostris omnem virtutem et salutis peragendae desiderium, ut sua illustretur *εὐδοκία*. (REUSS II, p. 145: *la libre volonté de Dieu*).

Certe omnes consentiant efficientiam divinam h. l. quam disertissime ac fortissime enunciatam esse, et ineptissime Pelagianas notiones illi injungi. Jure PISCATOR hinc petiit, „si solus Deus is sit, qui in nobis haec omnia efficiat, sequi nos ex nobis ipsis nec velle salutem nec efficere quae ad illam pertineant". Imprimis in hac sententia defendenda multus est CALVINUS, qui pulcre de l. agit. Urget vir D. perinde valere hanc partitionem (*θέλειν* et *ἐνεργεῖν*) ac si Paulus uno verbo *totum* dixisset; bonam voluntatem homini non relinqui; non dicere Apostolum corda nostra tantum flecti vel incitari, vel adjuvari bonae voluntatis infirmitatem, sed bonam voluntatem prorsus a Deo effici, totum autem cursum vitae

nostrae, si recte vivamus, dirigi a Deo. vid. quoque PISCATOR ad h. l. — Misere vexavit locum Dr. DÄHNE (l. l. p. 171 sq.), cujus commenta exegetica satis taedii afferunt, quum identidem repellenda nobis sint. Judicet lector: „*Das ἐν ὑμῖν ist unter euch, nämlich als Christen; das θέλειν und ἐνεργεῖν ist nicht das subjective Wollen und Bestreben des einzelnen Menschen, sondern das objective* (?), *die Norm des Wollens und Handelns, welche sich jener aneignen soll*". Ipsa se talia redarguunt. Dolendum sane sic in justam venire reprehensionem HERMANNORUM, LOBECKIORUM Theologiam.

Exposita enunciata inter se copulantur vocula *γάρ*. Multimodis horum conjunctionem tentarunt Theologi. Sic USTERIUS (p. 271), cui assentitur DE WETTE, *γάρ* habet pro particula explicativa. Ne quid sibi laudi ducant Christiani, PAULUM adjecisse putant Dei esse τὸ... etc. At haud scio an aliter scripturus fuisset, si hanc notionem edere voluisset. Non tollitur sic gravissima difficultas: altero posito alterum esse non posse. MEYERUS autem fiduciae alendae causa Deo tribuisse existimat scriptorem quod legitur vrs. 13. Sed autem quî hinc fiduciam capiant lectores ad strenue agendum non video. Logica membrorum oppositorum consociatio laborare videtur; adduntque viri eximii cogitata quae non prodidit Apostolus. Neque omnino placet cl. v. HENGELI sententia opinantis, quum Philippenses jusserit suam beatitatem perficere *obedientia, non sibi, sed Deo praestanda*, huic jusso gravitatem addere PAULUM monendo „unum enim esse Deum, non se hominem, qui iis hujus officii peragendi studium et vim praebeat". Hujus sententiae connexionem cum PAULI verbis non perspicio, nec facile hanc iis subjecturos putem lectores.

Lubet referre quid SAM. WERENFELS, elegantissimae doctrinae vir, de hoc loco censuerit. Delibemus nonnulla ex ejus dissertatione de hac re (*Opusc. Theol.* etc. 1739. I, p. 297 sqq.) Scilicet, ut defendat κατεργάζεσθε (vrs. 12) non *imperative* sumendum esse, etiam haec habet: „considera quam varient interpretes, quam sudent, quam se pariter et locum Apostoli

torqueant, cum nexum aliquem inter adhortationem ut ipsis videtur PAULI et subjunctum hortantis argumentum invenire satagunt. Omnia quae in hunc finem excogitata sunt, quam sint coacta et longe petita, facile sentiet qui modo attendit ad veram significationem et emphasin verborum: Deus est etc. — ἐνεργεῖν ubique in N. T. significat *operationem cum effectu conjunctam*..... Et sane nemo diceret, Deum in aliquo homine bonum ἐνεργεῖν, nisi bonum istud per hanc Dei operationem in isto homine actu produceretur..... Sine dubio τό *velle* et *perficere* id ipsum (operatur Deus), de quo sermo erat versu praecedente. Sensus itaque est: *Deus in vobis operatur, ut velitis salutem vestram propriam operari cum timore et tremore, utque id quod vultis re ipsa praestetis.* Sed, quomodo, quaeso, ad aliquid faciendum incitaretur is cui diceretur: Fac hoc, Deus enim, ut hoc ipsum facere velis, et revera facias, efficaciter in te operatur. Quis unquam audivit talem exhortationem?" p. 300 sq. Recte haec mihi disputasse videtur vir perspicacissimus. Nullum omnino conjungendi hanc conatum recipere arbitror PAULI verba. Si sensisset Apostolus qualia ex h. l. elidunt interpretes, exspectares: „nam Deus vestram operam sustentat", vel „divino auxilio vobis opus est", vel „nam Deus, si tu tua facis, tibi opera et consilio non deerit"; vel plane aliam sententiam subtexere quamlibet debemus, qua in re arbitrio relinquimur nostro, quum contexta oratione nihil adjuvemur. Et ubique cernas qui sententiarum connexionem indagare conati sunt vel invenisse sibi visi, alterutrius vim attenuasse et imminuisse. — Satius videtur sui juris esse utramque sententiam existimare, simulque, si PAULUS potuisset nexum indicare vel voluisset, significaturum fuisse; neque simpliciter juxta se collocaturum quae, ubi sui juris sunt, rationi nostrae quam maxime contrariae esse videntur.

Opinionem WERENFELSII κατεργάζεσθε esse *Indicativum* satis refutavit WOLFIUS in *Curis* ad h. l.

CAP. II.

DE PRAESCIENTIA.

§ 1.

De verbo προγιγνώσκειν, Rom. VIII, 29.

Vix est quod moneamus in doctrina, de qua agimus, saepe acceptam esse notionem aliquam, quam vel indicarunt *Dogmatici* verbo *praevidere*, vel *praescire*, vel *praenoscere*. Hac notione posita praedestinationis tristem severitatem mitigare conati sunt. — Refert nostra hanc rem cognoscere et ponderare. Quod quam sit necessarium, eum non latebit qui, hac accepta notione, omnes locos jam explicatos ac plures quidem plane diversam exhibere sententiam perpenderit, longeque aliud sonare quam videantur.

Dicta notio suspensa est ex interpretatione loci nobilissimi Rom. VIII, 29 sq., cui solet injungi. Quare attinet accurate hunc excutere locum. — Verba Apostoli ex *altera* TISCHEND. *ed. Lips.* hic exscribam:

ὅτι οὓς προέγνω, καὶ προώρισεν συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς· οὓς δὲ προώρισεν, τούτους καὶ ἐκάλεσεν· καὶ οὓς ἐκάλεσεν, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν· οὓς δὲ ἐδικαίωσεν, τούτους καὶ ἐδόξασεν.

De structura hujus loci non opus est monere, quandoquidem rejecta CORN. à LAPIDE et MALDONATI ratione omnes recipiunt hanc, quam interpungendo distinximus. — De oratione contexta praeter dicta p. 5. et 28 sq. deinde nonnulla proferemus. Nunc quam maxime de verbo προγιγνώσκειν agere juvat.

Recte hoc nomine distinguit varias interpretationes v. HENGEL *ad Rom.* II, p. 270. quod verbi *primaria* notio tenetur

aut *secundaria* ei tribuitur. Hae autem rursus variant admodum. Universe in censum veniunt tantum duae sententiae, quarum alteram propugnant praeter veteres, REICHE, THOLUCK, FRITZSCHE (*Sendschr.* p. 52), GLÖCKLER, PHILIPPI, MEYER, v. HENGEL. Hi tenent primariam verbi γινώσκειν significationem, quamquam in accuratiore sententia constituenda valde differunt. — Alteram novissime excoluerunt USTERI, RÜCKERT, KÖLLNER, KREHL, DE WETTE, FRITZSCHE (*ad Rom.* II, p. 197 sqq.). Hi *constituendi, decernendi* notionem verbo tribuunt.

Antequam paulo fusius de hisce agimus, verbo dicendum est de alia verbi nostri explicatione, quae olim plurimis placebat, nunc vero defendi non amplius videtur. Interpretati sunt illi: *quos antea dilexit.* — Si tenemus verbi *significatum* *), jure hanc interpretationem reprobamus; nam nunquam γινώσκειν *significat*: *diligere. Sensus* autem fere idem esse potest, haud insolita metonymia. Etenim, ut Hebr. יָדַע interdum videtur declarare: *favere, curare*; sic fieri potest ut in N. T. *a Deo cognosci* dicatur pro: *favore Dei frui*; siquidem illud favoris et amoris adjunctum esse solet vel documentum. cfr. Matth. VII, 23. 1 Cor. VIII, 3. 2 Tim. II, 19. Sententiam dogmaticam, hac interpretatione inita, alii aliam elicuerunt. Qui hac usi sunt ut AUGUSTINI formulam impugnarent minime audiendi sunt. Contendas hanc J. A. TURRETTINI explicationem: „quos Deus antea dilexit, quibus bene voluit, ii nempe, quos voluit Deus ad se vocare et ad salutem ducere, si modo Evangelii conditiones impleverint". Has cautiones non simpliciter verbis PAULI dari perspicuum est. Contexta oratione GROTII etiam reprobari opinionem („quos approbavit jam ante") infra elucebit. Alii CALVINIANA probata doctrina intelligunt *praecognitionem* quam vocant *practicam*, et hoc nomine amplectuntur Dei erga electos *amorem* et ipsum *decretum* quo constituit hunc amorem in eos explicare per salutis communicationem (B. DE MOOR II, p. 13. FR.

*) Cf. quae de appellationibus *significatio* et *sensus* supra monuimus p. 14.

TURRETTINUS I, p. 367). In hac quoque explicatione viget arbitrium opinionis. Utraque haec parum habet commendationis, ceduntque duabus rationibus vulgo receptis, quas memoravimus, nunc vero paulo accuratius ad varia interpretationis momenta examinabimus.

Itaque exigamus eas ad etymologiam; ad aliunde compertum loquendi usum Paulinum; ad ceterorum N. T. scriptorum sermonis consuetudinem; ad contextum loci nostri.

A. De *priore* verbi προγιγνώσκειν explicatione non habet quod objiciat etymologia. Potest omnino significare *praescire*, *praenoscere*, quod facile cum ex ipsius verbi potestate, tum usu comprobatur. v. WETST. II, p. 62.

Altera hinc impugnata est. Post alios MEYER, haud exiguae auctoritatis vir, semper *praesciendi* significatum habere verbum n. contendit, et *ante decernendi* non probari posse. Non recte hoc putasse V. D. crediderim. Nam sine dubio γιγνώσκειν nonnunquam denotat *decernere*, *statuere*. *Sensu iudiciali* sic usurpari efficiunt loci a KYPKIO excitati ad 1 Petr. I, 20. (*Obs.* II, p. 429). Mire hos locos detrectat MEYER, monendo de *tali* decreto n. l. non agi. At certe *decretum* referre verbum sic non denegatur. Neque praeterea dubium quin de quovis decreto dici potuerit γιγνώσκειν. Etenim Atticis saepissime dicitur de *judicio*, *placito* alicujus post deliberationem; cfr. XENOPH. *Anab.* I, 9, 17. III, 1, 43. I, 3, 12. Ἀπομν. I, 2, 19. II, 6, 35. *Cyr.* I, 1, 3. *Apol.* § 33. THUC. II, 22. AELIAN. *V. H.* II, 16. Jam hinc facillime manare potuit notio *decernendi*, nec desunt exempla hujus usus. Praeter duos locos a FRITZSCHIO laudatos cff. XENOPH. *Hell.* IV, 6, 9.: ὁ Ἀγησίλαος ἔγνω διώκειν τοὺς κ.τ.ἑ. ib. IV, 5, 5, de decreto AGESILAI bis. ISOCR. *Trap.* p. 361, 16. (ed. Bremianae). EURIP. (?) *Fragm. Dan.* 43. HEROD. I, 74 de decreto dandi filiam Alyattis in matrimonium Astyagi. AESCH. *Septem*, 632: σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι τίνα πέμπειν δοκεῖς. Addantur loci excitati a WOLFIO ad Act. II, 23. Idem ex PHI-

LONE indubie comprobat LOESNER (*Obs.* p. 170). Hisce reputatis non perspicio equidem quî in dubium vocare potuerit probatam verbi *γιγνώσκειν* significationem MEYERUS. — Objicit porro V. D. verbum compositum hac vi non inveniri. At ex analogia jure statuitur *προγιγνώσκειν* posse declarare *ante decernere*. Cum causa exemplorum defectio rectam hanc compositionem abrogare non potest. Neque ipse MEYERUS suam verbi explicationem vel uno loco ex antiquis probavit. Jure igitur *ante decernendi* vel similem significationem verbo adjudicari posse sumere nobis videmur *).

*) MEYER et v. HENGEL mihi videntur veris falsa miscuisse. Scilicet v. HENGEL profectus a discrimine verborum *εἰδέναι* et *γιγνώσκειν*, ita ut illud *notitiam quamvis praeserlim per corporis sensus, aut certe ab aliis acceptam* denotet, hoc *cognitionem mentis actionibus acquisitam* (*Interpr. Ep. ad Rom.* I, p. 566), *προγιγνώσκειν* non esse *praescire* putat, sed *praenoscere*. Scriptores nimirum Graecos compositum *προγιγνώσκειν* tantum ad *rem*, nusquam ad *personam* referre. Quamvis subtilem distinctionem non recte se habere existimo. Neque MEYERUS vere monet semper *praesciendi* notionem propriam esse verbi. Saepe quidem Graecis est *praenoscere* et dicitur, ut CICERONI, de *futuris*. Sic HOM. *Hymn. in Cer.* 257 sq. — *ἀφράδμονες — αἶσαν — προγνώμεναι*. *Ante sciendi* significationem habet PLAT. *Theaet.* 203, D. (*προγιγνώσκειν τὰ στοιχεῖα — ἀνάγκη τῷ μέλλοντί ποτε γνώσεσθαι συλλαβήν*). *De Rep.* 426. C. de adulatoribus, qui non exspectant dum quis quid fieri velit declaret ipse, sed *προγιγνώσκουσι* illius *βουλήσεις*. HERODIAN. III, 12, 13; II, 9, 4. (*πρόγνωσις τῶν μελλόντων*). XENOPH. *Apol. Socr.* § 30. Loco PHILOSTRATI (*de vita Apollonii Thyan.* I, c. 4.) laudato a v. HENGELO nihil aliud probatur quam quod non addubitatur, *προγιγνώσκειν* denotare *praenoscere*. Porro de *persona* legitur eadem potestate apud HERODIANUM I, 8, 13: *παρέσχε τε αὐτῷ μὲν προγνωσθέντι ἁλῶναι, ἐκεινῷ δὲ προμαθόντι φυλάξασθαι*. Mire post MEYERUM contendit v. HENGEL (*ad Rom.* II, p. 270) Graecis scriptoribus *ubique* significare *praenoscere*. Contra statuendum videtur, quemadmodum Latinorum *providere* idem valet atque *consulere*, atque adeo recessit *videndi* notio ut plane evanuerit (cf. vernaculum *voorzien*, *voorzienigheid*), sic Graecorum *προγιγνώσκειν* quoque *providendi* habere significationem. [Sensu *providere* ipsum quidem verbum *γιγνώσκειν* valet XENOPH. *Oecon.* V, 18 (*τὰ καλῶς ἐγνωσμένα*) et *Vect.* VI, 37.] In hanc sententiam accipio locum EURIPIDIS *Hippol.* 1072 VALCK., quem inconsulte mihi pro sua sententia laudasse videtur MEYERUS; aut reddendum ibi *προγιγνώσκειν prospicere, providere*, aut quid hîc faciat non assequor (ut MUSGRAVIUS, qui conjecit *κἀπογιγνώσκειν*). Sic THUCID. II, 65, ubi de PERICLE: *ἐπεί τε ὁ πόλεμος κατέστη, ὁ δὲ φαίνεται καὶ ἐν τούτῳ προγονὺς τὴν δύναμιν* (sc. *τῆς πόλεως*). Continuo ipse mentem suam explicat auctor: *ἐπὶ πλέον ἔτι ἐγνώσθη ἡ πρόνοια αὐτοῦ ἢ*

B. Proximum est ut inquiramus quid nos doceat de verbo n. usus Paulinus aliunde cognitus. Continetur haec disquisitio uno loco Paulino Rom. XI, 2. Nam longioris orationis a LUCA memoriae proditae indoles ejusmodi est, ut inde PAULI sermonis usum cum periculo cognoscamus. Significo Act. XXVI, 5, ubi est *praescire*.

Rom. XI, 2. Statuo verbis *ὃν προέγνω* non coërceri vel limitari notionem *τὸν λαόν*, ita ut sententia sit: *οὐκ ἀπώσατο* eam partem populi, quae *προγνώσεως* divinae est particeps. Refutarunt hanc opinionem RÜCK., FRITZSCHE, MEYER, quos vide meliora docentes; (etiam FRITZSCHE, *Sendschr. an* THOLUCK, p. 95 sq.). De explicatione verbi *προέγνω* eadem controversia est ac Rom. VIII, 29.: quare utraque enodatio hîc examinanda est.

Sententia qua notio *praenoscendi* vindicatur verbo h. m. proponitur: Praescivit Deus populum suum antequam erat populus suus. Cum totam historiam theocratiae apud se haberet constitutam, certo sciebat Israëlem suum fore peculium.

ἐς τὸν πόλεμον. Idem locum habet in fine hujus capitis THUCIDIDIS, ubi male junxisse videtur GAILIUS *ἐκείνων ἀφ' ὧν*; bene vulgo *ἀπὸ τούτων ἅ*..... Jam e *prospiciendi* notione sponte prodit significatio: *consilium capere, decernere*; (vid. BRETSCH. *Lex. s. v.*); et revera haec invenitur. Sic enim explico XENOPH. *Cyr.* II, 4, 11; lectionem quam edidit SCHNEIDER (*γιγνώσκων*) correctorem prodere arbitratus; facile quis in difficiliore verbo *προγιγνώσκων* haerere potuerit. Ineptc locum exponit FRITZSCHE (II, p. 200): „quum igitur haec ita praevideam scil. fidos fore milites, quos mihi beneficiis obstrinxerim". Immo XENOPHON praemiserat (non *fore*, sed) *esse debere amicos* qui fidorum militum munere recte functuri sint. *Ταῦτ' οὖν ἐγὼ οὕτω προγιγνώσκων*, sic pergit Cyrus. SCHNEIDER (v. *Ind.* p. 765) melius reddit: „apud animum statutum habere". Vulgata lectio continet notionem *placiti, decreti*. Sine dubio eadem est verbi *προγιγνώσκειν* vis THUCID. II, cap. 64, ubi PERICLES dicit: *ὑμεῖς δὲ ἔς τε τὸ μέλλον καλὸν προγιγνόντες ἔς τε τὸ αὐτίκα μὴ αἰσχρὸν κ.τ.ἑ.* „Capite vos consilia respicientes cum futuram gloriam, tum decus praesens". Nisi malis POPPONEM secutus soli priori inciso proprie convenire verbum *προγιγνόντες* existimare, hîc etiam usurpatur verbum de cura et consiliis, quae constituuntur ut recte componantur res hodiernae. Utut est, palam est *praesciendi* notionem hîc evanuisse, et substitutam *ante decernendi*. Meminerit denique lector loci DEMOSTHENIS (*Πρὸς Ἀφοβ.* § 58 BEKK.), quo dicitur quis *προεγνωσμένος ἀδικεῖν*: de praejudicio amicorum et arbitri, secundum significationem, quam comprobavit KYPKE, verbi simplicis. — Haec habui dicere contra viros egregios.

(v. MEYER). Si quaerimus, quî hac sententia possit dari ratio τοῦ: οὐκ ἀπώσατο, respondet MEYERUS: „Non potest igitur fieri ut repudiarit populum suum; sic enim errasset opinando bonos futuros homines, qui destituerunt ejus spem". Haec una via videtur qua *praesciendi* notio obtineatur. Quamquam multis modis tentatum est. E. g. a WETST. II, p. 72: „quem ad Christum convertendum esse per Prophetas praedixit". Sed hic aliique tam libere sententias procuderunt sibi acceptiores quam PAULO, ut liceat nobis dudum explosas illas praeterire, ne repellamus quod obtineat nemo. Verum ne MEYERI quidem, etsi hic contextui consulere conatur, recte se habere videtur interpretatio. Quis enim, quaeso, PAULI verbis lectis implicatam illam MEYERI et per ambages progredientem argumentationem persequatur? Ut intelligatur scriptor, memoretur necesse est res quae summam complectatur argumenti. Ex hoc loco nemo *erroris* eruet notionem, cui obnoxius esset Deus si Israëlem rejecisset. Deinde notandum sqq. ne levissime quidem hanc sententiam significari; immo de electione Israëlis agi. Accedit quod argumentum a MEYERO propositum est debile, quin nihili, quoniam Apostolus in hoc capite XI. docet Deum consilio suo pervicaciam insevisse Israëli ad tempus. Quare non efficeret lector Deum *errasse*, sed omnino reddidisse Judaeos pervicaces ne Christo fidem haberent, praesertim cum PAULUS cap. IX. hanc sententiam copiose defendisset.

Qui remittunt notionem primariam verbi γινώσκειν melius orationis indoli ac perpetuitati consulere videntur (RÜCK., DE WETTE, FRITZSCHE, USTERI (l. l. p. 263) LUTZ (*Bibl. Dogm.* p. 203) al.); vel *decretum* significari putant, quod ante primordia rerum in favorem Israëlis ceperit Deus; vel, *decernendi* aliquantum remota notione, de *amore* dici quem tunc habuerit ergo Israëlem. Sententia eodem redit. Prior magis placet; quamquam ita fortasse conjunctae sunt notiones ut intelligendum sit *decretum divinum ex amore factum*. Utut est, apposite monet FRITZSCHE sic enarranda esse verba ut ἀπώσασθαι τὸν λαόν et προγνῶναι αὐτόν vehementer repugnet.

Repugnat autem Deum antea elegisse populum Israëliticum salutemque ei decrevisse, postea vero rejecisse. Quod suo exemplo probaverat PAULUS, populum Israëliticum non rejectum esse (vid. etiam vrs. 4 sqq.), id significanter repetit; et propositionis falsum lucide arguit adjecto antithetico illo: *ὃν προέγνω*.

Haud sine causa nobis videmur sumere non abhorrere ab usu Paulino posteriorem verbi significationem.

C. Nunc consideremus quid ceterorum scriptorum N. T. sermonis consuetudo afferat ad verbum n. l. recte enodandum. Post dicta alibi non opus erit monere cumprimis in vocabulis q. d. technicis ex aliis scriptoribus explicandis summam cautionem adhibendam esse et prudenter versandum.

Act. XXVI, 5. (v. p. 99.) et 2 Petr. III, 17. manifeste usurpatur verbum *προγιγνώσκειν* prima sua ac nativa significatione. Legitur insuper 1 Petr. I, 20; et vox *πρόγνωσις* Act. II, 23 et 1 Petr. I, 2. De his tribus locis paulo uberius disputandum est. 1 Petr. I, 20. Verbum hîc quoque denotare *praescire, praenoscere* tuentur post alios MEYERUS (*ad Rom.* p. 265) v. HENGELUS (*ad Rom.* II, p. 271) et WIESINGER laudatus a v. HENG. l. c. Vid. WETST. II, p. 683. Satius putaverim relinquere hanc interpretationem, quae ineptam sententiam parere videatur. Quid enim hoc sibi vult: „Christus ante mundi primordia cognitus fuit"? WOLFIUS quidem, strenue *praescientiam* defendens, ex hoc l. se expedire non potuit nisi hac artificiosa ratione: „si recogitemus verba quae *scientiam* inferunt nonnunquam esse efficacia et praegnantia, ut aliquid complectantur quod scientiam consequi solet aut debet, facile apparebit *πρόθεσιν* seu *consilium* Dei hic simul per reliquas rei, de qua sermo est, circumstantias inferri, ita tamen, ut praescientia ipsa non excludatur (?)". *Cur. in Act.* II, 23. Immo expone: „qui ante decretus s. praedestinatus est, ante fundationem mundi" (KYPKE, *Obs.* II, p. 429). Scilicet PETRUS hoc agens ut vis pretiumque Christi pro suis sacrificii intelligeretur, post memoratum *τίμιον αἷμα*, Christum

dicit *προεγνωσμένον πρὸ καταβολῆς κόσμου*. Inde redemtionis pretium optime persentiscerent Christiani quod scirent „non nuperum esse consilium de redimendis nobis, sed vetustum" (BEN. ARETIUS). Quis non suspiciat rem maximique faciat quam in aeternitate decretam esse sciat? — Patet etiam sic explicandum esse verbum ex opposito *φανερωθέντος δὲ κ.τ.ἑ.* h. m.: „ab aevo praefinitus est Christus qui hominum causa veniret in terram, hisce diebus autem manifestatus, conspicuus factus est". Hic illius consilii effectus est. Recte omnino dicuntur *φανεροῦσθαι* quae olim, ut essent, decreta sunt; cf. 1 Cor. II, 7, 10. Col. I, 26. Sed non sentio antithesin: „qui praecognitus est ab aeternitate, sed nunc manifestatus". Denique tentatur alibi quoque similia legi in scriptis Apostolicis. Act. X, 42. XVII, 31. Luc. XXIII, 35. — Non male BRETSCHNEIDER in *Lex. s. v.*: „a Deo electus hominum servator ante mundum conditum". Malim tamen vertere *constitutus*, *praestitutus*, quoniam *electionis* notio alienior est, requiritur *decreti*. Praeterea efficitur ex h. l. *diligendi* significationem potius relinquendam esse ceteris quoque locis, quippe quae ad hunc nequaquam sit aptata.

Non temere igitur statuimus verbum *προγιγνώσκειν* ex usu loquendi biblico recte explicari *de decreto ante facto*.

Restat vox *πρόγνωσις*, unde magnopere proficimus ad usum verbi constituendum. Act. II, 23. Acriter sane, nec tamen argumentorum gravitate unam hîc praescientiam declarari contendit MEYER (*ad Act. Ap.* p. 57). Mire V. D. scribit l. l. „*Metaphysischer Weise ist freilich die πρόγνωσις und die βουλή in Gott nicht verschieden; aber die Wortbegriffe, die ja von der Activität des menschlichen Geistes entlehnt sind, differiren*". Sed enim potuitne insulsius ad humanum intellectum proponere orator divinas rationes quam ita ut, postquam memorarit *consilium decretumque Dei*, postmodum satis languide apponeret *praescientiam*? Male sic adumbres humanam decernendi actionem, quae cognoscat postquam voluerit. Verum enim vero importunissimam h. l. esse notionem *praesciendi*

luce clarius docet dicti q. d. *pragmatismus*. Namque significat Apostolus non hominum proditum esse Jesum consilio et opera, sed praestituta divina ordinatione (sic ipse MEYERUS). Pulcre ERASMUS (*Ann.* ad h. l.): „quibus verbis PETRUS ostendit in Christo nihil temere gestum, sed immutabili Dei consilio facta omnia; simulque mitigat Judaeorum facinus, qui licet imprudentes subservierunt divino consilio". Jam totam hanc rem necessario pervertit *praescientiae* mentio. Si enim praevidit s. praenovit Deus improborum contra Filium suum conjurationes et insidias, hominibus adjudicetur necesse est causa Christi mortis, praesertim cum ἐπανορθώσεως instar βουλήν sequatur πρόγνωσις. Quare jubemur in aliam sententiam accipere vocabulum, qua minus absurde locutus esse videatur PETRUS. Longius certe aberrat BRETSCHN.: „secundum praemeditationem Dei, qua sc. decrevit id permittere". WOLFIUS: „βουλή refertur ad finem, a Deo in crucifixione Christi intentum, qui erat salus hominum; πρόγνωσις vero ad consilia hominum male feriatorum" (*Cur.* ad l.). Haec ad doctrinam ecclesiae Lutheranae potius aptata videntur quam sententiae PETRI convenientia.

Ut recte locum hunc interpretemur attendere debemus rationem articuli. Duo haec nos docet. „Ubi plura nomina per καί vel τε-καί juncta tam arcte cohaerent, ut quasi in unam notionem coalescant, non repetito articulo copulari solent." (KÜHNER ad XENOPH. *Comm.* I, 1, 19.) l. l. XENOPH. τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα. Repetitur in altero membro articulus quia antecedenti oppositum est. III, 10, 5: τὸ μεγαλοπρεπές τε καὶ ἐλευθέριον καὶ τὸ ταπεινόν τε καὶ ἀνελεύθερον. Cfr. KRÜGER *ad Anab.* II, 1, 7. KÜHNER *ad Anab.* II, 2, 8. Efficimus igitur arcte conjunctas esse notiones, quin in unam quasi conflatas βουλῆς et προγνώσεως. — Alterum quod docet nos omissus articulus ante προγνώσει, hoc continetur quod ὡρισμένῃ necessario ad προγνώσει etiam pertinet. WINER p. 146. sq. I Thess. III, 7: ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ. cff. ll. a WINERO indicati.

Est igitur *πρόγνωσις ὡρισμένη*; quod quî dici possit de *praescientia* futurorum, nemo interpretum explicuit nec video equidem. Omnia suadent ut *πρόγνωσιν* interpretemur: *decretum ante factum*. Fere synonyma habenda sunt *βουλή* et *πρόγνωσις*, nec tamen plane (ut HUTHER *ad Petr.* p. 37). Illud adumbrat Dei voluntatem, hoc inde profectum decretum. Hoc modo ita similes sunt notiones ut se invicem compleant unaque absolutum Dei consilium declarent, quod intenditur etiam adjecto *ὡρισμένῃ*.

Unus adhuc superest locus, ubi *πρόγνωσις* memoratur, np. 1 Petr. I, 2. Quod hîc legitur *κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρός* pertinet ad antecedens *ἐκλεκτοῖς*, et hoc definit ut et sqq. *ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος* et *εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰ. Χρ.* Manifeste tradit Apostolus tria insignia electionis, quae singula proprium aliquid et diversum efferre credi potest. Primum: electio facta est *κατὰ πρόγνωσιν* Dei Patris. *Praescientiam* hîc quoque reddiderunt nonnulli. Indicabit „quinam in posterum consilium divinum de salute sua sint vere amplexuri" (WOLFIUS). Sed quum paulo post indicetur finis electionis (*εἰς ὑπακοὴν κ.τ.ἑ.*) subabsurdam hanc sententiam lucremur: „Electi sunt, quia Deus praevidebat illos fore dignos electione, et ut essent digni". Ferri non posse videtur talis repugnantia. BENGEL et praescientiam et voluntatem et amorem complecti vocem *πρόγνωσιν* absurda praegnantia opinatur. Facio cum ERASMO: „Caeterum haec particula (*κατὰ πρ.*) referenda videtur ad id quod praecessit electis; ut intelligamus electos non temere neque fortuito, sed destinato decreto consilioque Dei; alioqui non video quo pertineat." (*Annot.* ad h. l.). In hanc sententiam locum explicant LYRANUS, LUTH., CALV., BEZA, ARETIUS, PISCATOR, inter recentiores STEIGER, DE WETTE, HUTHER. Unice convenit notio consilii et decreti divini. Appellando Christianos *electos secundum πρόγνωσιν* significat PETRUS non aliunde pendere electionis causam praeter ipsius Dei arbitratum. Hac ratione rite procedit sermo. Deo Patri primas in salute tribuit Apostolus, quin ipsam salutem et electionem ad

eam; non autem moratur in divinorum consiliorum arcanis perscrutandis, sed continuo ad ἁγιασμόν progreditur, mox ad finem electionis. Deinde observandum, hac interpretatione inita, aliquid dicere PETRUM. Scite monet ARETIUS: „Ingens hic oboritur consolatio, quod sciamus electionem nostram Dei judicio factam esse, nam hic constans esse potest. Hominum enim electiones saepe fallunt, et toties interrumpuntur quoties peccamus. His dubitationibus opponitur hoc Dei aeternum consilium, eligentis nos ante jacta mundi fundamenta". Ut non solent ss. scriptores in absconditis commorari nisi ubi vitae doctrinam profuturam censent, sic h. l. divinam moderationem attingit Apostolus, summorum beneficiorum inde profectorum pie memor. Contra, praescientiam Dei si memoratam opinamur, haerendum sane, quo pacto initio epistolae indicaverit rem, cujus usus minime perspicitur, immo quae pietatis Apostolicae legi videtur adversari. — Insuper contendisse juvabit locos Paulinos Eph. I, 5, 11. 2 Tim. I, 9.

Hujus disquisitionis summa est, usu comprobari *ante decernendi* verbi προγιγνώσκειν significationem; et quidem, ubicumque spectet Dei actionem, solam hanc admitti posse, *praescientiae* vero notionem ineptam esse.

D. Propositum erat ad contextam orationem exigere verbi προγιγνώσκειν significationes. Qua in re tamen monendum est paulo aliter opponi explicationes. Scilicet supra examinavimus quae vel *sciendi*, vel *decernendi* notiones obtinebant sententias. Sunt autem qui illam tueantur et nihilominus ad hanc propius accedant, si de re quaeras. Excipiendi hi sunt. Nam quoniam de reali u. i. d. sententia scriptoris praeclare admonet contextus, de etymologiis non item, in hac particula disputationis n. opponuntur qui vulgo dictam fidei praevisionem vel alius qualitatis eligendorum praescientiam significari putant iis, qui hanc designari omnino negant; qui in homine causam ponunt ultimam salutis iis, qui unam Dei voluntatem liberam causam celebrari existimant.

Ubi primariam significationem obtinet verbum προγιγνώσκειν in S. C., simpliciter denotat *ante cognoscere* vel potius *nosse*. Hoc autem ineptum videtur u. l. Nam nullo pacto *cognitio* divina partem tantum hominum complectitur; quod hîc requiritur. Jubemur igitur aliam informare cognitionem, quae h. l. conveniat. Quare alii putarunt significari singularem cognitionem eorum qui Dei sint amici, quemadmodum: *novit suos* (2 Tim. II, 19.). Plures breviloquentiam aliquam deprehendere sibi visi sunt in oratione Apostoli. Variis modis mancam suppleverunt cogitando vel de fide futura, vel de dignitate, vel de perseverantia, quas praeviderit Deus. Frustra Hebraeorum brevitatem sermonis excusavit REICHIUS. Ferri nullo pacto potest talis brachylogia, quae non ut oportet compendium faciat scribendi, sed per ambages errantem facere necesse sit, quin etiam aberrantem lectorem. Unde enim haec cogitatione comprehendat? Qua perspecta re GLÖCKLERUS, ut suppleatur notio τοῦ προέγνω, e sequentibus sumsit συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ: „quos praevidit fore Filii sui imagini conformes, eosdem praedestinavit etc". Quaeritur autem, utrum h. m. aliquid dixerit PAULUS. Multum omnino, ait GLÖCKLER. Quid igitur? videlicet *„es wird hiermit behauptet, dass das Vorauswissen Gottes auch ein Vorausbestimmen desselben sey"*. At vero nihil dixit GLÖCKLER, aut dixit quo prorsus tollatur *praescientia* necesse est. Prius tenemus quia deinde acriter defendit vulgatam *praescientiam*.

Loci compositione proxime narratas sententias repelli e dictis efficimus. Restat quam primam posuimus: „quos ante novit, quos ante notos habuit". Explicari posse h. m. defendit FRITZSCHIUS (*ad Rom.* II, p. 198), in hujus l. interpretatione mire a se ipse deficiens. Etenim plurima in *Comm.* recipit quae acrius contra THOLUCCIUM negaverat (*Sendschr.* p. 51 sq.) Quam ibi proposuit defensurus, ut videtur, enarrationem, quamvis meliora edoctus, non ineptam esse perhibet. Nobis autem videtur haec vel ad altero loco narratam pertinere expositionem (quos suos esse existimavit „quia nimirum eos sui studiosos fore

praevidit" FR.); vel omnino longe aliam sententiam amplecti et oppositam vulgatae *praescientiae*. De qua infra dicendum erit. — Varios hos conatus obtinendi primariam notionem verbi προγιγνώσκειν loci conformatione ac simplicitate structurae non commendari manifestum est.

Jam vero hisce comprehensis in hanc unam conflari possunt interpretationem: Deus quos ante novit pios fore probosque et credituros Christo, praedestinavit ad conformitatem imaginis Christi. Quam sententiam in cogitatorum scriptoris perpetuitate ineptam esse, ejusque consilio adversari efficere nunc conabor. Recte BENGEL: „τὸ *propositum* explicatur vrs. 29. τὸ *vocati* vrs. 30". Scilicet manifestum est vrs. 29 sqq. rationem dari vrs. 28.; et nominatim arctissime jungi dictioni τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν sequentem expositionem. Hoc enim consilio adjecta esse a P. haec verba supra (p. 36 sqq.) vidimus, ut rite aptari possent quae hîc sequuntur ut comprobetur sententiae vrs. 28. veritas. Ex προθέσεως notione nexit auctor vv. οὓς προέγνω, ita ut eandem cogitationem complecti recte statuatur. Alibi probavimus voce πρόθεσις efferri rem quae penes voluntatis arbitrium sit ejus, qui aliquid apud se statutum habeat. Quare verbo προγιγνώσκειν propriam esse notionem *statuendi*, *decernendi* probabile est. Inepte certe sententias struxisset P., si, postquam veros Dei cultores secundum Dei propositum vocatos esse dixit, continuo addidisset quod plane hanc sententiam everteret: nam quorum futuram fidem praevidit Deus, eos praedestinavit etc. *). Immo non temere ad πρόθεσιν Dei revocavit P. Christianorum vocationem. Scilicet hinc suspensa est certa beatitatis spes ac persuasio, quae consolatura sit gravissimos eorum casus. Tum REICHII opinio (II, p. 239), quae sumit, quum memorata sit ἀγάπη erga Deum vrs. 28., hîc etiam Christianorum operis mentionem requiri, cadit, si tenemus

*) Ex his et supra dictis apparet fictitiam esse „pulcram gradationem" quam invenisse sibi videtur GRIMM, Theol. Jen. egregius, si explicetur „quos praevidit" caett. (*Inst. Th. Dogm.* p. 421).

vrs. 29. 30, solum respicere τ. κατὰ πρόθεσιν κλ. οὖσιν, quod substitutum sit pro τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν. — Praeterea sic explicata verba Apostoli infirmam adeo ac ineptam efficere consolationem, quis est qui non videat? Animos deprimeret necesse erat speque dejiceret futurae gloriae talis admonitio. Ut enim quisque est optimus vir et Christianus, ita minime sibi placet suisque nititur viribus. Nemo unus piorum sibi gloriam destinatam esse audeat credere, si a sua ipsius dignitate suspensa haec destinatio sit. Hinc profecto Christianis afflictis solatium accedere non potest, quod monentur suae infirmitatis conscii (vrs. 26), si perseverent in fide ac pietate, se Deo gratos esse. Immo de ipsa fide metuebant ne percelleretur vitae casibus. Quos igitur consolaturus et erecturus non potuit Apostolus ut *sibi* confiderent admonere; verum quum afflictorum sola spes ac fiducia in uno Deo poni soleat debeatque, hoc demum praesens et idoneum solatium est, Christianis de sua salute non esse metuendum quippe quae in immutabili Dei decreto reposita sit. Nihil aliud in animo habuisse PAULUM totus locus docet, et insuper sequens pericope, quae in Dei amore et pro electis celebranda cura sit omnis. — Recte summam sententiae his verbis reddidit praeclarus NEANDER: *„wo er den Muth und das Vertrauen der Gläubigen anregen und aufrichten wollte, konnte er sie nicht auf die schwache und unzuverlässige Kraft des Menschen verweisen, sondern er zeigte ihnen den unerschütterlich vesten Grund des Vertrauens in dem Rathschlusse der göttlichen Liebe in Beziehung auf ihr Heil, in dem, was Gott durch Christus gewürkt, dieses zu begründen."* (*Gesch. d. Pfl. u. Leitung* ed. 3. II, p. 710).

Haec loci ratio tam perspicua est et evidens, ut multi hanc evidentiam cum *primaria* verbi γινώσκειν concordare conati sint probare. Quum tueantur *sciendi* notionem, tamen eandem sententiam procudunt, quae elicitur recepta altera verbi potestate (*decernendi*). Diserte admonent *praescientiam fidei* vel *alius in homine bonae qualitatis* minime ferri posse. Ubi autem explicant, quid sit Dei πρόγνωσις, caligine plerumque

ferimur circumfusi, et philosophiam persentiscimus hodiernam. Sic GLÖCKLER interpretatur: *ein absolutes Vorauswissen*; quod magnificentius quam enucleatius dictum est. NEANDER exponit locum: *Diejenige, welche Gott in seiner ewigen Anschauung als ihm durch Christus Angehörende erkannte.* Quod nota in calce chartulae illustratur h. m.: *Ich meine nicht ein durch die göttliche Präscienz bedingtes Erkennen, welches dem Zusammenhange jener Stelle allerdings fremd ist, sondern ein schöpferisches Erkennen, ein Gesetztseyn in der göttliche Idee.* (*Pfl. u. Leit.* II, *p.* 711). MEYER reddit προγνωσιν: *Es ist die Bewusstheit Gottes in seinem Plane, vermöge deren er, ehe die Subjecte zum Heil von ihm bestimmt werden, weiss, welche er dazu bestimmen will.* DE WETTE: *das Erkennen ist aber in dieser Analyse des Begriffs der Prädestination oder Gnadenwahl das erste Moment, wie jedem Entschlusse die Erkenntniss vorangeht.* cl. SCHOLTEN l. l. II, p. 81.: *„De προγνωσις is Gods eeuwige voorkennis, volgens welke hij de verwezenlijking van het geheele wereldplan reeds in de idee van eeuwigheid aanschouwt".* In eandem fere sententiam, plane rejecta vulgatae *praescientiae* notione, VV. DD. F. C. BAUR, *Paulus*, p. 640 sq. REUSS, *Hist.* II, p. 134. HUTHER, *Komm. ü. d. Br. Petri p.* 37. — Parum feliciter viris doctis conatus successisse videntur. Scilicet existimant, quemadmodum decreta hominum nitantur cognitione ex eaque proficiscantur (ceteroqui recte insana vecordium putantur consilia), ita etiam, ne ad libidinem agere Deus videatur, cui sit *pro ratione voluntas*, divinorum consiliorum ultimam causam in *cognitione* sitam esse oportere. Quid igitur *ante novisse* censent Deum? Nempe objecta electionis. Ecquid autem novit Deus quales futuri sint aliquando quos electurus sit? At vero sic relabimur in opinionem, quam ipsi improbant VV. DD., qua vita futura eligendorum causa habetur efficiens electionis. Fac scire Deum, quosnam ad salutem praefinituras sit. Unde vero hoc scit? quippe quorum futura sors ab ipso decreta sit. Sic autem rursus decretum voluntatis praecedit cognitionem. Nam aut statuen-

dum est Deum designasse quosdam ad salutem quod sibi placeret simpliciter (tum de cognitione cogitandi non est locus); aut decreta de servandis hominibus niti praevisione divina, „qua quid quisque sit acturus, quomodo se ad conditiones salutis compositurus, videt aeternumque videt" (DOEDERLEIN I, p. 307). Tertium cogitari nequit. Qui operam dant ut *cognitionem* tueantur etiam in liberis consiliis divinis „nihil aliud agunt, quam Dei decretum et constitutionem par facere humani judicis deliberationi ac decreto" (ZWINGLI ap. SCHWEIZER, II, p. 196); quos autem hoc fefellit, quod ad inanem speciem redegerunt decretorum Dei et hominum similitudinem, cognitionis cujusdam notione inconstantissime recepta, quae et ipsa e decretis sit suspensa, quae moderatura erat. Qui (ut cl. SCHOLTEN, l. l.) *hominum* cognitionem remittunt, et *generale consilium* informant (*wereldplan*), hi etiam contra disertissimam PAULI sententiam (*οὓς προέγνω*) rem fingunt.

Videmus dissensum potius verborum quam rei esse, quum concedatur nequaquam hac *προγνώσει* imminui libertatem Dei decretorum. Longe autem satius videtur relinquere notionem *praescientiae*, quippe quae complicatior sit quam ut eam intelligat lector, nulla addita explicatione; quae satis inconstanter dicatur; praeterea nullo alio loco Paulino vel levissime significata sit. Contra *decernendi* notio etymologiae habet praesidium; commendatur usu loquendi cum Paulino, tum ceterorum N. T. scriptorum; jubetur etiam loci conformatione et sententiarum perpetuitate; denique egregie concinit cum doctrina quam hactenus cognovimus, et deinceps lustrabimus. *).

*) Inepta multa et absurda protulerunt Theologi, conati vocibus *πρόθεσις*, *προγιγνώσκειν*, *προορίζειν* singulas notiones adjudicare definitas. Ut Reformatorum distinctiones cognoscas, adeas B. DE MOOR. *Comm. Perp.* etc. II, p. 72. Non minus argutati sunt posteriores Dogmatici et Interpretes: e. g. satis putide distinguit LUTZ (*Bibl. Dogm.* p. 200): *πρόθεσις*, *Vorsatz*, *πρόγνωσις*, *Vorherfestsetzung*, *προορίζειν*, *Vorherbestimmung*. Non probiore ratione nititur discrimen propositum a H. OLSHAUSEN (*Comm.* p. 312): „*In dem πρόγν. ist nunmehr die Seite des göttlichen Wissens, in προορ. die des Wollens allein hervorgehoben, welche beide in der πρόθεσις verbunden auftreten*".

§ 2.

De sententia Rom. VIII, 28, sqq.

Hac absoluta disputatione nunc veniendum est ad enarrandam quae nobis videtur loco nostro subjecta esse sententiam, simulque perpendendas interpretationes quasdam diversas.

Suprā (p. 6 sqq. 34 sqq. 107 sq.) vidimus his vrs. contineri casuum gravissimorum, quibus afflictabantur Christiani, solatium praesentissimum. Ex eo quod secundum praefinitum Dei propositum erant vocati, quo fiat ut certissime ad gloriam sint perventuri, ad quam pertinet vocatio, efficit Apostolus nullam omnino rem pollere adversus eos, quibus tam impense faveat Deus. Sententiam instruit hac ratione: „τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν omne confert ad emolumentum; vocati autem sunt e consilio divino". Huic προθέσει injunctam pertexit orationem PAULUS: „Jure hoc dico, nam quos aeterno decreto complexus est (προέγνω), eosdem praedestinavit Deus ad imaginis Filii sui conformitatem s. ad υἱοθεσίαν". Sed video objecturos mihi quosdam insolentiorem verbi προγιγνώσκειν cum Accusativo structuram. Certe hac significatione talis structurae apud Graecos non invenire potui specimen. Nec tamen idcirco explicatio nostra potest improbari, siquidem non raro obveniunt in N. T. soloecismi. Praesertim quam h. l. nemo mirari debeat. Nam primum tenendum idem verbum Rom. XI, 2. et 1 Petr. I, 20. eadem ratione structum

Similiter HUTHER (*ad* PETR. p. 37). Paulo melius hic de vocibus nostris agit in *Zusätze* etc. p. 558. Vulgo sua sponte posuerunt distinctiones docti, etiam ERASMUS, ARETIUS, RÜCKERT. JO. MARCKIUS, *Comp.* VII, 20. vere dixit: „quae nomina quidam scrupulosius inter se distinguunt" et audacius, opinor. Nam ex usu Paulino certo constitui non possunt distinctiones; πρόθεσις quidem et προορίζειν non diversa PAULO declarant, et προγιγνώσκειν de hac re semel tantum occurrit. Male de etymologia argutati multi in distinctionibus infeliciter perielitati sunt. Prudentius nobis videtur, cum desint validae rationes, abstinere periculis quae nunquam superent qualemcumque probabilitatem.

esse, ita ut suspicio injiciatur sic verbum Graecitate N. T. cum Accusativo personae jungi solitum fuisse, ut suppleri deberet e contextu complexio. Verum enim vero, licet nullum exstaret juncturae nostrae specimen, de hac tamen non addubitandum erat, quum in antecedentibus satis sit praeparata sententia verbi *προέγνω*. Haec enim et quae praecessit (*τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν*) ita inter se continentur, ut illa per compendium, et quasi per *ἀνακεφαλαίωσιν* hanc repetat, ut pertexatur oratio. Sic satis absolvitur lectori notio verbi. Sicut autem Rom. XI, 2. completur verbum *προέγνω*: „quem decrevit efficere suum populum"; et 1 Petr. I, 20.: „qui aeterno decreto constitutus est ut veniret in terram, servator mundi"; sic n. l. explicandum de *vocatione ex proposito*. „Nam quos aeterno suo decreto olim complexus est, ut efficeret vocatos suos, gregem suum delectum, eosdem praedestinavit ad conformitatem imaginis Christi etc". Frustra ita accusatur loci tautologia (REICHE). — *Quo consilio* nos praedestinarit, indicat sequens *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς* (v. 29.). Ut Eph. I, 4. electio facta esse dicitur *ἐν Χριστῷ*, ita n. l. praedestinatio ad adoptionem, ut Christus sit multorum fratrum primus. „Ergo non ut nos, sed ut Christum ornaret, tantum in nos decus conferre Deus statuit. Nititur haec disputatio sententia a piis Christianis concedenda: *Deum omnium rerum principatum Christo detulisse* Col. I, 18. Fac Deum adoptionem in filios nemini destinasse. Ita Christus *ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ* esset, et qui unicus natura esset Dei filius non primum locum inter eos obtineret, quibus idem Deus ornamentum dedisset. Nulli enim reperirentur. Itaque Deus, ut Christo etiam *ut Dei filio* principatus esset, *multos homines in filios adoptavit*". (FRITZSCHE, II, p. 203). Egregie hoc confert ad certos reddendos Christianos de sua salute, quod Christus eorum electionis est causa, fundamentum et finis. Ut autem sciant Christiani Deum non derelinquere consilium suum, docet PAULUS VRS. 30. hac *προορίσει* totam ipsorum salutem contineri; et, postquam

monstravit ex proposito vocatos sempiterna beatitate ornatum iri, hinc complectitur illum Deum, qui tot tantaque pro ipsis fecerit, longe minori rei non defuturum, sed curaturum ut quascumque ferrent aerumnas prosint ipsis (vrs. 31 sq.).

Sed multi Interpretes aliter judicant de loci nostri sententia. Pauca e multis delibata cognoscamus. Primum quidem dicendum videtur de sententia BRETSCHNEIDERI (*Handb. d. Dogm.* II, p. 132). Opinatur vir ill. non ad omnes homines pertinere dicta vrs. 28—30., sed tantummodo ad Apostolum ejusque aetatis Christianos. Horum enim consolari PAULUM infortunia et molestias laudando summo amoris divini documento in eo conspicuo, quod ipsos ex tam magno numero primos elegerit ut Jesu fierent discipuli; hinc efficere Apostolum oportere Christianos ad exemplum Christi fortiter ferre fortunam; *sed etiam* Dei fidere auxilio. — Miro in errore haec BRETSCHNEIDERI interpretatio loci est. Errat vir s. v. in explicanda similitudine imaginis Christi; fallitur attenuanda *electionis* doctrina (v. Part. I. Cap. II), quo errore ductus hunc locum in alienam sententiam traxit. Porro temere conformat PAULI consilium haud dubia loci propositione leviter praetermissa. Nam evictum esse potest statui Apostolum decreto memorando de Christianis facto voluisse afflictos erigere. Verum perinde quasi nondum bene agi de loco hoc existimarit BRETSCHNEIDER, fingit insuper dicta non spectare nisi Romanos id temporis. Concedi omnino potest scriptores apostolicos suae aetatis hominibus scripsisse. Sed quî inde dicti auctoritas levari possit, non perspicio. Quod enim de consiliis divinis circa Romanos docet Apostolus, idem de omnibus dici potest, nisi forte singulis singulos Deos praedicavit. Nobis etiam idem Deus est qui Romanis; qui si hos olim *προέγνω* et *προώρισε*, nos quoque *προγνῶναι* et *προορίσαι* censendum est. Vel jure tota N. T. doctrina ad priscos Christianos refertur, nihilque ad posteriores aetates pertinere eam opinari possumus. Ne excipiatur hic locus vetat sententia universe enuntiata, nec quidquam temporale prae se

ferens. Haec BRETSCHNEIDERI explicatio loci n. nihil habet quo probetur Interpreti veri amanti et nihil praeter hoc sequenti.

Non magis cl. v. HENGELO assentiri mihi contigit. Rationes quas supra exposuimus, quum disputabamus contra v. HENGELUM, pleraque in hanc quoque valent partem. Viri cl. interpretatio huc redit: PAULI sententia non est „*singulos aliquot esse, quos Deus ante noverit et praedestinaverit*", sed „*eosdem, quos Deus ante novisset, ab eo quoque praedestinatos esse*". Atque hanc sententiam enunciasse Apostolum, ut bene intelligerent lectores „*nullos alios ad Christi communionem vocatos et perductos esse, quam quos Deus et praenovisset, et praedestinasset*" (*Interpr. Ep. ad. Rom.* II, p. 273). Haud scio an distinxerit v. cl. quae minus diversa sunt, quorum prius posteriore non excluditur. Tum addubitem an recte consilium scriptoris proposuerit. Denique me non capere fateor, quomodo hoc quoque loco existimaverit „generatim spectari homines ex Judaeorum et gentium exterarum stirpibus prognatos". Notiones *praedestinatianas* in *Interpretatione* sua haud feliciter e loco nostro expulisse mihi videtur v. cl.

In *disputatione* saepius laudata (*Godgel. Bijdr.* l.l. p. 25) brevius etiam de loci sententia agit v. HENGEL; nec magis probabilem reddit suam opinionem, a l. n., ut a toto PAULO, notiones severiores CALVINI quam longissime abesse. Contra illam explicationem verborum PAULI nihil aliud affert v. cl. quam argumentum petitum e dictis quae contrariam sententiam continent. Aequo jure locos, quos argumentatur v. HENGEL ut in mitiorem partem interpretetur doctrinam *praedestinationis*, attenuasse et arrosisse videtur CALVINUS aliique, ne accepta *sibi* placita tollerentur. Saepius jam indicavimus talia argumenta, quae ponant aliquid, quod nondum exploratum sit, me judice nihil valere contra sententias quas verba loci, quem cum maxime interpretemur, habere cognoverimus. Hoc uno argumento allato procudit dicti significationem v. HENGEL, quae nobis, praeeuntibus FRITZSCHIO, DE WETTIO, KREH-

LIO, KÖLLNERO, RÜCKERTO, MEYERO, BAURO, USTERIO, al. improbanda esse videtur *).

Eadem fere dicenda sunt contra interpretationem ven. REVILLE, pastoris Dieppensis (*de hoogste aangelegenheden ter sprake gebragt*; vernacule redditum a ven. J. F. VAN BINSBERGEN. *Amersf.* 1848); multa in hoc opusculo pulcre dicta sunt. Duobus autem potissimum erroribus perductus est REVILLE ad perversam hujus loci explicationem. Scilicet maximum praesidium quaesivit in reliqua PAULI doctrina. Jam notavimus pari jure rem inverti posse. Tum vero, ut veram quam habemus impugnet loci sententiam, gravius aequo indulget enarrandis et premendis quae probata hac interpretatione consequantur. Ita invehitur in ea, quae non nisi necessario, invita natura, tanquam consequentia receperunt hujus sententiae patroni. Ejusdemmodi erat ratio, quae urgendis secuturis impugnaret haud dubiam sententiam e.g. Rom. VIII, 13. 1 Cor. IX, 24. Quod e principio quodam legitime procedendo aliquis possit efficere, non adeo interpreti cordi sit, ut evidentem interpretationem rejiciat. Sic enim qualiscumque philosophia dirimat quaestiones grammaticas, et delabatur exegesis ad incerta omnia ac arbitrium. — Ceterum, ut plerique nihil fere affert ad sententiam suam hoc loco quem interpretaturus est communiendam.

Multa absurda de h. l. prolata sunt, quae referre taedet. Strictim quaedam tangimus. Mire argutatus est REICHIUS, praeclarus explicator. Vim loci n. hoc argumento infringi opinatur v. cl. (l. l. II, p. 236 sq.): „*Diese Darstellung der*

*) Sententiam suam vir eruditissimus his verbis proposuit: *De Apostel doet hier, even als vs. 31—39, niets anders, dan aan zijne lezers voorstellen, hoe God zich zelven gelijk blijft, en wat zij dus van Gods kant verwachten mogen. Hij bemoedigde derhalve de Romeinen daarmede, dat zij, den weg van Godvrucht en deugd, waarop zij door den Geest van God geleid werden, bewandelende, zich vertrouwelijk aan zijne handen konden overgeven. En vermits er geene verandering bij God is, kunnen allen, die onder het Christendom geboren en opgevoed zijn, er bij wettige gevolgtrekking uit afleiden wat hij voor hen zijn en blijven zal.*

Berufung, als Folge eines ewigen Rathschlusses, hat keinen dogmatisch-realen Gehalt.....deswegen, weil sie den Gegensatz involvirt, dass Gott über Einiges nicht einen ewigen Rathschluss gefasst habe; denn ohne diesen Gegensatz ist die Behauptung einer πρόθεσις ganz leer. Nun aber ist nach der wahren Idee der Vorsehung Alles zuvor versehen und beschlossen. Matth. VI, 10, *sqq. Rom.* XI, 34". Oblique corroboravit nostram explicationem REICHIUS, qui non aliam haberet viam, qua opiniones Calvinianas effugeret, praeter hoc desperatum perfugium. Namque arbitratu suo plurima excipit v. d. quae non habeant auctoritatem dogmaticam; hoc certe loco justo levius, quum non facile perspiciatur quidni ad persuasionem scriptoris pertineat *vocationem ex proposito et decreto Dei factam esse*, nisi dicatur etiam de iis, ad quos non venerit vocatio. Recte omnino REICHIUS putat providentiam divinam complecti *omnia*; verum de omnibus non idem decretum est; *πρόθεσις* PAULI minime inanis est; inanis esset si spectaret *omnes*; et nulla cernitur causa, cur PAULUS hîc reminiscerctur ceterorum, qui consolandi causa Romanos certiores sit facturus de salute ipsorum non suspensa et incerta, sed aeterno constituta Dei decreto.

DÄHNII sententia de doctrina nostra hujus loci moderata est interpretationem, ut exspectari poterat. Hoc tantum memorabile videtur, DÄHNIUM, opinioni suae (vid. supra, p. 29 sqq). male convenire hunc locum quum perspexisset, hîc insuper *praescientiam* advocasse. Contenderat autem DÄHNE *hominum electionem* non docere PAULUM. Nobis videtur v. d. non venisse quo tendebat, videlicet ut probaret, „*dass die Prädestination dem Paulinischen Geiste eben so fern liege, als dem Christlichen überhaupt*". (l.l. p. 168 sqq.).

Superest *) ut dicamus de interpretatione MEYBOOMII, qua longius ab Apostoli ét verbis ét sententia recedere nulla no-

*) THOLUCCII interpretationem hic non referam, quandoquidem singulis editionibus varia protulit. In ed. 4ª (1842) saniora e prioribus sustulit; et novissimas curas V. Cl. in *Epistolam ad Rom.* nondum cognoscere mihi contigit.

bis videtur (vid. l.l. p. 236 sqq.). Ac *primum* quidem temere contendit v. d. electionem Christianorum conditionibus (in ipsis) adstrictam esse („*zij staat in verband tot 's menschen zedelijke vrijheid*"). Male hoc efficias e vrs. 28. (*τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν*). Dicuntur vocati esse secundum Dei propositum qui nunc sunt amantes Dei. Absurdum sit inde efficere vocatos esse *quia* diligerent Deum, quod placet MEYBOOMIO. Ipse Apostolus significat *propter* vocationem eos nunc esse *ἀγαπῶντας τὸν θεόν*; quod innumeris locis dixit. Amor erga Deum non causa, sed effectus est vocationis ante secula praestitutae. Ipsa autem loquitur res tantummodo qui Christo fidem habeant, et eatenus sint *ἀγαπῶντες τὸν θεόν*, gloriae sempiternae praefinitos esse, auctore PAULO. Nulla omnino doctrina tam evidenter in epistolis Paulinis exposita est; nihil tam in medullis haerebat magno Apostolo, quin totius Evangelii Paulini summa erat, quam persuasio ex mera gratia, sine ulla nostra dignitate, ad Christum adduci homines. *Deinde* sua sponte hanc procudit sententiam v. d., multiplici errore nitentem: „*de band tusschen Gods en 's menschen vrijheid is Gods voorwetenschap*". Et *praescientia* haec fictitia est, et *libertas humana* ne levissime quidem significata est. De *vinculo* igitur sermo nullus esse potest nec est. Quid? quod, de sententia MEYBOOMII, libertas Dei ad inanem speciem reducitur. Tollitur haec omnino, ut incolumis sit et infinita hominum libera voluntas. Itaque inepte cogitatione fingitur *vinculum*. *Denique* hîc memoremus commentitiam v. d. distinctionem *praedestinationis* (quam ante primordia rerum factam esse putat), et *electionis* (quae, auctore MEYBOOMIO „*in den tijd geschiedt*"). Supra jam refutavimus hanc opinionem pluribus locis. Sed quanta licentia usus sit v. d. ut adjudicaret PAULO hanc suam sententiam, luculentissime comprobat loci n. quam proposuit expositio. Scilicet jam continuo PAULUS refellit MEYBOOMIUM, usus verbo *προορίζειν* ea ratione qua fieri negat hic. Huic enim videtur praedestinatio esse decretum illud generale beandi genus huma-

num per Christum: PAULUS docet h. l. praedestinari singillatim *homines* ad sempiternam gloriam. PAULUS arctissime connexuit inter se vrs. 28 et 29, 30, quin evidens est pertexere auctorem vrs. 29, 30. quod indicatum erat vrs. 28.: τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν; ita ut dubitari nequeat, quin πρόθεσις et προγιγνώσκειν, προορίζειν de eadem sententia dicantur. MEYBOOMIUS contra, neglecta hac contextus evidentia, divellit haec copulata, et πρόθεσιν interpretatur *praedestinationem*, προώρισε de hujus *executione*. Neque contigit viro doct. explicare quî cohaereat locus; et revera sic non cohaeret. Si vocantur qui vocatione digni sunt, ad Dei propositum nihil amplius pertinet, nisi forte Dei propositum est vocare optimos. Sed eo insaniae non procedendum est. Satis confuse M. hanc partem loci enarrat, ubi mihi videtur sensisse vir perspicax, quam ineptam sententiam pareret talis hypothesis (vid. p. 238). Quoniam autem sententiarum connexio v. 28. et v. 29. non dubia est, et πρόθεσις aeternam constitutionem declarat, sine ulla dubitatione praep. πρό (in verbis vrs. 29.) eodem pertinere arbitror. Quamquam ipsa praep. varias recipit significationes, alia praeter propositam hîc non valet. Nam quominus explicemus: „quos ἔγνω antequam praedestinavit"; et: „quos praedestinavit ante vocationem", impediunt ét causa dicta, ét inepta actuum divinorum consecutionis conformatio, ét constans PAULI ratio, qua aeterna esse decreta electionis et vocationis docere solet (vid. supra). Accedit quod ab aeternitate constitutae salutis persuasio aptissima est erigendis et confirmandis afflictis ac laborantibus Christianis.

Jam vero unde exorsa est, redeat oratio. Quid nos docet hic locus de dogmate *praedestinationis*? Ne aberremus a sententia Apostoli, videndum est *quo consilio* haec scripserit? Quippe ut erigat Christianos certa spe ac fiducia Dei, qui ipsos vocaverit ad Evangelii cognitionem; qui hac vocatione eximiae benevolentiae dederit documentum. Praeter innumeram multitudinem sibi contigisse ut essent Christi. Quo melius per-

sentiscerent hoc omnium summum esse beneficiorum Dei, simul exponit scriptor ipsa vocatione (adductione ad Christum) contineri sempiternam gloriam; non esse rem casu vel forte fortuna iis concessam *τὴν κλῆσιν*, quum ab aeterno administrata sit (*κατὰ πρόθεσιν*). Jam „PAULUS gradibus quibusdam ab eo quod est omnium primum, pervenit ad id quod est omnium summum, quo res esset firmior et absolutior" (ERASMUS *Ann. ad h. l.*) Ab hac *προθέσει* tota „aurea salutis catena" nexa est. Manet *vocatos* gloria beatitatis. (cfr. F. C. BAUR, *Paulus*, p. 641). Qui tam insigne dederit amoris sui erga ipsos documentum, ut salut consummatissimae eos designaverit: quidni longe minora ab eodem exspectari possint? *τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα; εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ ὑπὲρ ἡμῶν πάντων [τῶν κατὰ πρόθεσιν κλητῶν ὄντων] παρέδωκεν αὐτόν, πῶς οὐχὶ καὶ σὺν αὐτῷ τὰ πάντα ἡμῖν χαρίσεται;* vrs. 31, 32. cf. 33. *).

Importune quaestionem agitarunt multi de connexione divinae operae et humanae ex h. l. efficienda. Ea tela non texitur; nam ne minimum quidem indicium est in verbis Apostolum vel de ea cogitasse quum haec scriberet. Male igitur loco n. usi sunt veteres Dogmatici tanquam compendio hujus doctrinae. Iniqui hi erant in PAULUM, cujus animus non ad dogmaticas subtilitates esset compositus, sed omnis in eo ut ne qua dubitatio metusve conturbaret pios Christianorum animos. Nequaquam de officiis Christianis detrahit Apostolus, aut de industria liberam non esse nostram voluntatem praedicat. Talia abhorrent ab animo religioso et

*) Laudem h. l. pulcra verba nobilissimi Jurisconsulti (J. J. L. VAN DER BRUGGHEN) in opusc. *Aanteekeningen van eenen Jurist op Rom.* IV. *'s Hage*, 1846, p. 60: *het is alleen de volle zekerheid der onveranderlijke, van niets dat buiten God is afhankelijke liefde Gods, die aan het hart het gerust bezit dier liefde kan waarborgen, zonder welke er angst en vreeze in het hart overblijft, die de liefde verdrijft. Het geloof aan de eeuwige verkiezing Gods is inderdaad niets anders dan het geloof aan de eeuwigheid zoowel zijner goedertierenheid als zijner waarheid en trouwe.*

qui quam maxime pectus alloquatur Romanorum, mentem rationemque non item.

Attamen ejusmodi cogitata enunciavit PAULUS h. l. quae edere non potuisset, nisi firma fuisset ei persuasio salutem esse superne, ac quae evenisset, hanc Dei voluntate decretoque concessam esse. Utique ineptissime haec verba Apostoli dicantur ab iis qui hodieque nullis limitibus circumscriptum celebrant hominis arbitrium, nisi prius alienae sententiae vocibus subjectae sint. Satis superque nobis apparuit in mitiorem partem interpretando loco non esse idoneam causam.

Frustra etiam excusabis sententiae severitatem monendo PAULI consilium non fuisse ut doceret arbitratu divino salutem distribui (THOLÜCK); ut hoc demus, tamen praedicat Ap. aeterno decreto hominum fidem in Christum constitutam esse; huic deberi decreto quod ad Christum adducti sint et aliquando beatitate ornandi. cfr. omnino E. F. HÖPFNER, *de consecutione sententiarum in Pauli ad Rom. Epist.* (1828) p. 58 sqq. *).

---

§ 3.

De praescientia universe spectata.

Generales quaedam de *praescientia* animadversiones perorent hanc disputationis particulam.

A. Et primum quidem, praecepti Tulliani memores „non ex singulis vocibus philosophos spectandos esse, sed ex per-

*) Haec jam scripta erant et mandata typis, quum ex indice quodam librorum cognovi exstare de nostra re liorum cujusdam TH. YOUNG, nostratibus datum s. t.: *de leer van* PAULUS *ten aanzien van de regtvaardiging door het geloof, de erfzonde en voorverordinering*, a VEN. B. BRAAMS. *Gron.* 1842. Non prius videre et legere potui opusculum, quod dogmatis n. expositionem nectit e dicto Rom. VIII, 28 sqq. quam haec plagula iterata cura recognoscenda mihi reddita est. Si quid habere videbitur liber dignum quod cognoscatur vel refutetur, postea in Addendis referre juvabit.

petuitate atque constantia" (*Tusc. Disp.* V, 10. (31)), videndum, qua ratione illam doctrinam concordare doceant cum ceteris PAULI effatis, qui opinantur praedestinationem divinam suspensam esse ex hominibus *).

Excoluerunt Theologi hanc praescientiam, ut Deo digna conformaretur oeconomia salutis. Consilium probius quam illud videtur quod, quo intendunt, deducat.

Duplici potissimum ratione hoc egerunt. Multi, ut Lutherani, praecunte *Formula Concordiae* †), praevisionem pertinere existimant ad solos improbos, aeternae pernicici addictos; fideles,

*) Semel indicamus nos hanc controversiam informare, utrum *Deus* sit ultima causa fidei et salutis, an *homo*. Qui *praescientiam* qualemcumque admittunt simulque Deum auctorem fingunt salutis, (vid supra p. 108 sqq.) hos non contingit controversia. Serimo est de illis Dogmaticis, qui defendunt vulgatam *praescientiam*. Scio quidem, etiam hos litigare secum invicem. Alii enim *praescientiam* aperte faciunt suspensam e futuris, ut ORIGENES ap. EUSEBIUM *Praep. ev.* VI, 11: *οὐ γὰρ ἐπεὶ ἔγνωσται γίνεται, ἀλλ' ἐπεὶ γίνεσθαι ἔμελλεν ἔγνωσται.* Clarius etiam hoc dicitur loco citato a cl. TWESTEN (*Vorles. ü. d. Dogmatik* etc. II, 1, p. 113): *οὐκ ἐστιν ἡ πρόγνωσις αἰτία τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἔσεσθαι αἴτιον τῆς προγνώσεως· οὐ γὰρ τῇ προγνώσει ἕπεται τὸ μέλλον, ἀλλὰ τῷ μέλλοντι ἡ πρόγνωσις.* Haec sententia sibi constat. Quae contra hanc afferuntur valent contra ipsam *praescientiam* c. g. BOËTH. (*de cons. phil.* V, 6. v. TWESTEN): „Quam praeposterum est, ut aeternae praescientiae temporalium rerum eventus causa esse dicatur! quid est autem aliud arbitrari ideo Deum futura, quoniam sunt eventura, providere, quam putare, quae olim acciderunt, causam summae illius esse providentiae." Si haec recte dicta sunt, ipsa sublata est *praescientia*. Nam commenta Jesuitarum de *scientia media* non minus absurda sunt quam quae Lutheranorum olim Theologi excogitarunt complicata et aliena ut sententiam ORIGENIS al. subterfugerent. Quocirca ad solos pertinet disputatio nostra, qui ultimam causam electionis in homine sitam esse arbitrantur.

†) Etsi in *Formula Concordiae* Art. XI (*Epit. Affirm.*) diserte dicitur „haec Dei praescientia simul ad bonos et malos pertinet", haec verba satis inania sunt, et videntur addidisse ea auctores ne absurdius doctrinam hanc informasse viderentur. Nam diversa est utraque praescientia. Quae ad bonos pertinet eadem est quae *praedestinatio s. aeterna Dei electio*; haec *praescientia* sola causa est salutis eorum. Hoc in *Solida Declaratione* copiosius explicatur. De altera autem *praescientia* iterum monent auctores F. C. „eam non esse causam mali, neque causam peccati, neque quod homines pereant". Videmus reapse *Formulam Concordiae* rem conformare ut in textu diximus. Cfr. GUERICKE, *Allgemeine christl. Symbolik* p. 353 sq.

nulla praevisa fide vel pietate, *electos* s. *praedestinatos* esse — Quae sententia sibi minime constat. Nam id agit ut ne Deo adscribatur causa interitus; et tamen eodem redit. Egregie hoc evicit SCHLEIERMACHER, cum in disputatione *de electione*, tum in palmari suo opere: *Der christliche Glaube* § 119, al. E. g. *Band* II, p. 266: „*denn ein vorhergewusstes Uebersehn ist ebenfalls eine Vorherbestimmung*"; tum necessario consequi „*wenn in Christo Einige nicht können erwählt werden, sondern nur übersehen, dass auch die Allgemeinheit der Erlösung dem gemäss müss beschränkt werden*". Illic relegamus lectorem. Se ipsa evertit haec opinio; cui praeterea ne verbum quidem aut elementum in scriptis Paulinis favet. Itaque vel bonos malosque complectatur necesse est praescientia, vel omnino tota missa facienda.

Jam vero sententia, Deum praevidere in hominibus virtutem s. fidem, quae causa sit eligendi, toti PAULO adversatur. Nam vel alium alio meliorem fecit Deus et ita res denuo invertitur; vel homo tam praeclara in se habet, ut quodammodo sit dignus gratia divina. PAULUS autem omnes eidem perniciei devotos esse docet; neminem excipit, et laborat, ut in non alia re, ut persuadeat lectoribus neminem mortalium vel minimo favore dignum esse. Recte dixit RÜCKERT nihil severius obtinere Apostolum (*ad Rom.* II, p. 116). Quidquid boni aliquando praestiterit homo acceptum refert P. gratiae liberae, nusquam adjunxit bonae indoli. Qui servantur sola Dei gratia ex communi interitu eximuntur et ornantur fide ac virtute. H. WITSIUS: „Nulla vel fides vel sanctitas, vel quidquam vere bonum considerari in homine potest, nisi collatum ex divina gratia". Cf. ll. a nobis explicati; et AUGUSTIN. *De Civ. Dei*, XV, 11. *Enchir.* c. 97 sqq. *Retract.* I, 23.

Arminiani et qui plures Rationalismi secuti sunt principia legitime processerunt ratiocinando, ubi sacrarum Litterarum ét de peccato ét de praedestinatione simul inverterunt placita. Verum Lutherani non debebant subterfugere *absolutum decretum*. Nam dogma *de peccato*, quod non multum praeter PAULI mentem expouit Ecclesia Luth., tantum quod non ita sobrie et verecunde,

postulat illud. Apte et concinne hoc demonstravit FR. SCHLEIERMACHER (*über die Lehre von der Erwählung; SS. WW. zur Theol.* II, p. 393) post BRETSCHNEIDERUM, qui et alibi, et in „*Aphorismis*" *Augustanae* et *Form. Concordiae* de corruptione hominis deserenda esse decreta censuit, ne cogeretur Ecclesia Luth. causam Calvinianam recipere. Non fefellit hoc posteriores Dogmaticos Luth., qui, ne in rupem formidatam incidant, doctrinam *de peccato* atterunt, et ad PELAGIUM accedunt. Vid. DE WETTE, *Dogm. d. Ev. Luth. Kirche*, ed. 2, § 60b. WEGSCHEIDER, *Inst.* § 146. cl. § 147. (HASE) HUTT. RED. ed. 8. p. 221 sqq. GRIMM, *Inst. Th. Dogm. Ev.* p. 429. et LENZ, *Gesch. d. Chr. Dogmen*, II, p. 131. Copiosius ac disertissime hanc repugnantiam exposuit noster SCHOLTEN in l.l. II, p. 370 sqq. Necessario ad Manichaeismum perducere *praescientiam* illam acute probat SCHLEIERM. l. l. p. 447 sq. Dignum etiam est quod attendatur scitum monitum TH. BEZAE, duplici errore *praescientiam* poni; „sic enim", inquit, „aliquid summa rerum omnium causa, i. e. Dei omnia et singula ordinantis voluntate adoranda potius quam scrutanda superius quaerunt; et praeterea decretum a quo omnes exsequutionis illius causae mediae ordinantur, cum ipsius exequutionis causis confundunt."

Sed hîc subsistamus, quum non sit hujus loci dilatare de hac propositione sermonem. Sufficiat commonuisse, quam parum congruat cum PAULI placitis opinio „ex praescitis et praevisis futuris causis consilium capere Deum decernendi quod decernat" (BEZA *ad Act.* II, 23); nullo loco vel levissime hanc doctrinam esse significatam, et Rom. VIII, 29. per injuriam inferri: contra plurimis locis ita loqui Apostolum, ut plane repellatur illa.

B. Scite contra BOHMERUM de divina praescientia nugatum dixit J. ED. HUTHER (*ad Col.* III, 12): „*Solche Cautel ist nicht in dem unmittelbaren Bewustsein des Christen von der göttlichen Gnade, sondern in der Reflexion über das Verhältniss*

der Almacht Gottes zu der menschlichen Freiheit begründet; — wobei nur noch zu bemerken, dass der Ap. Paulus wenigstens dieser Cautel nirgends das Wort redet". Optime haec dicta sunt. Rationis proles est *praescientia*, non religionis. Haec enim in solo Deo acquiescere solet. — Universe non satis attenderunt locum ad Rom., de quo egimus, religiosi prorsus esse argumenti et indolis; quapropter procul habenda sint quae non sponte dictentur a religiosa et in Deum pia mente. Non tractat P. locum de divina rectione et libertate hominum. Ut tangeret has res jubebant momenta religiosa; et nihil amplius spectat, quam ut intelligatur et probetur piis Christianorum animis, quos consolaturus est. Non quo novam rationem haberent, qua causae rerum atque exitus cognoscantur, nomen Christo dederant hi Christiani, quare neque Apostolus Christi de philosophia sermonem habet; sed quaecumque sensum eorum religiosum alant et promoveant, sedent curas scrupulosque, tranquillent animos, erigant spem, ea docet, suadet, commendat. Haec ad religionem pertinent, et vera religio spernit philosophorum subtilitates et argutias, quippe quae ad diversam regionem pertineant. Pulcre mihi dixisse videtur BLAISE PASCAL: „*l'Ecriture sainte n'est pas une science de l'esprit mais une science du coeur*". Unde efficimus jam improbabile esse has subtiliores notiones hîc commemorari, praesertim h. l., qui cum maxime abhorreat a severitate dogmatica.

Si praeter ea, quae diximus supra, reputamus totam hanc doctrinam injungi uno vocabulo (προέγνω), dubitamus nulli probare alterum membrum dicti HUTHERI. Absurdum omnino videtur ex una voce elicere et extundere doctrinam complicatam, etiamsi minoribus difficultatibus laboraret vocis enodatio; eo minus in hanc sententiam abire possumus, quo magis multa effata, quae nunc illam redarguunt, ut cum ea concinant, ita vexare opus est et detorquere, ut simul sanctissimae interpretationis leges, nominatim grammatices, atrocissime conculcentur. Id quod fieri debebat nunquam.

C. Postquam monstravimus unum praescientiae fundamentum esse fraudem grammaticam, piumque metum ne Deus videretur mali causa esse, neu, detracta de homine libera voluntate, incuriae indulgeretur aut desperationi; ut pium, tamen praeposterum in disciplina historica metum: nunc hanc particulam absolvamus consideranda ipsa *praescientiae* in hoc decreto notione, quam complicata sit atque dicatur inconstantissime. Quamquam concedimus, quin urgemus rem nos agere ab opinionum arbitrio sejunctam, et persuasum nobis est rationes philosophas nihil omnino posse proficere in disciplina exegetica, immo posse nocere, et nocuisse admodum: tamen non ab re videtur breviter commonstrare, quam parum hac notione adjuvetur finis ad quem excogitata est. Liceat nobis hoc facere potissimum aliorum verbis.

Recte dixisse mihi videtur E. F. HÖPFNERUS (*de consecut.* etc. p. 59) discrimen προγνώσεως et προορισμοῦ ideo nullum esse, quod „quae Deus praevideat futura, ea ut fiant necesse sit". Non aliter sentit MARTENSEN (*die Chr. Dogm.* p. 415), Determinismo infensus. Arbitratur v. cl. *praescientiam* defendentes revera in Calvinismum incidere, et eligendi libertatem (*Wahlfreiheit*) facere speciem fictae libertatis; „*denn*" inquit, „*was Gegenstand sein kann für ein ewiges Vorherwissen, das muss in einem Gesetze ewiger Nothwendigkeit begründet sein. Das Verhältniss, worin die freie Wahl des Menschen sich zur göttlichen Gnadenwahl setzt, kann nicht Gegenstand sein für das göttliche Vorherwissen*" caett. Acerrime imprimis hanc opinionem impugnavit SCHLEIERMACHER ab illa parte, in qua versamur. Tria viri egregii effata in hanc sententiam afferre conducit. Unum: „*wenn Gottes Vorherwissen weiter geht als sein Vorherverordnen: so geht auch überhaupt sein Wissen über sein Hervorbringen hinaus. also bleibt sein Hervorbringen hinter seinem Wissen zurück, und er ist eben dadurch geworden wie unser einer*". (*WW. zur Theol.* II, p. 446). Hac de re autem judicent me peritiores. Alterum SCHLEIERMACHERI dictum simplicius videtur, et sanae rationi optime probatur; verba sunt: „*Hat Gott nicht*

alles vorherversehen, so kann er nichts vorherversehen haben". (l. l. p. 484). Scilicet arbitratu suo limites ponunt, qui praescientiam defendunt, divinae providentiae et rectioni, et tamen haec continetur rebus universis. Hominum vocatio et adeptio salutis ita implicata est et suspensa ex diversissimis rebus, quas providentia amplecti dicitur, ut alterum sine altero vix ac ne vix quidem fingi possit a Deo regi. Nisi forte omnem tollere providentiam necesse est, et in ejus locum substituere „nudam permissionem, ac si in specula sedens exspectaret Deus fortuitos eventus, atque ita ejus judicia penderent ab hominum arbitrio" (CALVINUS, *Inst.* I, 18, 1). Quod nemo putarit. Recte igitur ponit SCHLEIERMACHER, aut tolli providentiam, aut complecti omnes omnino res; et perverse, admissa praescientia, ad libidinem quaedam eximi de rebus quas moderetur Dei suprema voluntas. Denique laudo haec ejus verba, quae meam efferant persuasionem (l. l. p. 447): „*Darum wollen wir diesen Unterschied getrost fahren lassen, der in der That nur verbirgt, und nicht ans Licht bringt*".

Plures hodieque, Socinianis praeeuntibus, de praescientia non bene agi existimantes, hanc etiam sustulerunt, quum admissa quae falli non possit futurorum praescientia CALVINI placitum effugere non possent. Hi quoque oblique commendant nostram sententiam; nam „haec praescientia Dei tot habet testes, quot fecit prophetas" (WITSIUS, *Oec. Foed.* III, 4).

Iterum monere necesse habeo me hujusmodi ratiunculis, quamvis evidentissimis, non tantum tribuere, ut eas vel minimum interpretationem moderari patiar; quin me tali hermeneuticae infensissimum esse. Nemo autem putabit, opinor, me defecisse ipsum a me, ubi disquisitionem grammaticam generales admonitiones de notione repulsa, spectata per se, appendicis instar sequi jussi. — Egregie de illa opinione egit SCHOLTEN, in l.l. p. 443 sqq., ubi ejus ineptias luculenter ostendit.

Quaestioni, quis docuerit a praevisis operibus vel fide praedestinationem auspicari, licet BEZAE non demus responsum

(*ad Gal.* I, 15): „Is nimirum, qui spiritui sancto adversatur"; tamen respondere liceat: qui non satis assecutus est PAULI verba ac mentem *).

CAP. III.

DE SENTENTIIS A PAULO VEL DECLARATIS VEL SIGNIFICATIS CAP. IX. EPISTOLAE AD ROMANOS †).

§ 1.

Prolusio.

Jam pridem conquesti sunt Theologi hujus capitis intelligentiae difficultatem. HIERONYMUS, cujus verba exhibet THOLUCCIUS, ad totam Epistolam interpretandam, sed quam maxime hanc particulam, Spiritus S. auxilio nos indigere arbitratus est. Talibus querelis opportune objecit REICHIUS (II, p. 287), ipsos sibi creasse has difficultates Interpretes, qui officium sibi impositum opinarentur omnes hujus pericopes sententias ita conformandi, ut cum suis ipsorum placitis ad verbum congruerent. Hunc profecto laborem existimo Herculeum.

*) Propositum erat pauca tradere de hac opinione, cui non faveat V. T. Sed ne simus longiores, hoc relinquimus, lectore relegato ad LUTZIUM, qui hanc rem egregie illustrat *Bibl. Dogm.* p. 201, sqq.

†) Praeter totius Epistolae Interpretationes haec potissimum consului scripta singularia: J. A. NÖSSELT, *Interpr. gramm. cap. IX. Ep. P. ad Romanos.* Hal. 1765., iterata editione in *Opusc.* I, p. 141 sqq. J. C. F. STEUDEL, *Nachweisung der in Röm. C 9. liegende Sätze als zu Gunsten eines unbedingten Rathschlusses Gottes nicht deutbarer*, in: *Tüb. Zeitschrift für Theologie* 1836, *Heft* 1, p. 1 *sqq.*, quam disputationem ipse videre non potui; satis autem cognitam habeo ex aliis libris, nominatim L. J. RÜCKERT: *Ueber den wahren Lehrgehalt von Röm. IX.* in opere: *Magazin für Exegese und Theologie des Neuen Testaments, herausg. von* dr. L. J. RÜCKERT 1838, 1*ste Lief*, p. 11 sqq., et doct. D. FR. STRAUSS: *Herr* Dr. STEUDEL *oder die Selbtäuschungen des ver-*

Haec principalis causa esse videtur, cur post tantum studii ac laboris huic epistolae Paulinae parti explicandae impensi non minus quam pridem dissensio sit inter criticos, quid tandem hîc docuerit Apostolus. Quam rupem ut devitemus imprimis opera danda est. — Verum hoc non sufficit ad inveniendam sententiam scriptoris. Est aliud vitium in interpretatione, quo factum est ut aberrarint multi. Ut solent pueri, ubi in scriptore aliquo vertendo semel opinione praeceperunt perversam alicujus vocis vel structurae conformationem, adjuncta omnia pervertere („parva enim magnis saepe rectissime conferuntur" CICER. *Orat.* 4, 14), sic explicatores PAULI saepenumero unum aliquem versum vel verbum male interpretatos fefellit tota Apostoli disputatio. Quare ne prave insistamus neve eadem peccemus summopere videndum est.

Universe tum demum pericope boni scriptoris recte explicata est, ubi singula et cuncta sponte conveniunt, neque vi et fraude opus est ut huc perveniatur. Appareant concordantia cuncta dicta, non fiant. Quantopere hoc opus sit, doceat exemplum BRETSCHNEIDERI, qui suae rationis multos habet socios. Scilicet summam disputationis vrs. 30—32. proponi existimat vir ill. (vid. *Handb. der Dogm.* II, p. 138). Hinc profectus omnia quae praecedunt contorquet ad hanc sen-

ständigen Supranaturalismus unserer Tage. 1837; inserto in ejus *Streitschriften* 1841. Hic STEUDELI opusculum vocat *„ein grosses hermeneutisches Kunststück"*. Porro adhibui: doct. WILH. MEYER, *Versuch einer Entwicklung des Gedankengehalts des* 9, 10 *und* 11 *Cap. im Br. an die Röm.* in libro: *Theol. Mitarbeiten, herausg.* von A. F. PELT, Professore Kiliensi, ad ann. 1838. *Heft* 3, *p.* 61 *sqq.* J. T. BECK, *Versuch einer pneumatisch hermeneutischen Entwicklung des neunten Kap. im Briefe an die Römer.* Stuttg. 1835. P. C. HAUSTEDT, *Prädestinationslehre nach dem Ap. Paulus, etc.*; doct. L. S. P. MEYBOOM, *Waarh. in Liefde*, 1846, II; opera saepius laudata USTERII, SCHOLTENI, DÄHNII, REUSSII, al. — Haec jam pleraque perscripta erant et superiora typis jam confecta quum accepi disputationem Rev. S. HOEKSTRA B fil., nunc Theol. Doct. et Prof. Telcio-Baptistarum Amstelodami, quae inscribitur: *De leer van Gods vrije genade volgens Rom. IX.* in opere: *Licht, Liefde, Leven*, ed. J. F. BLAAUW etc. 1856. p. 323 sqq. Quamquam non inelegantер scripta, non multum novi affert interpretationi capitis nostri; multorumque renovavit memoriam errorum, quos convicerat disciplina neque revicturos sperabat.

tentiam, traditque hanc esse propositionem totius capitis, ut vindicetur Dei libertas conferendi beneficia quibus velit populis, nec Deum coërcere res externas. Quum vero Judaei respuissent salutem ipsi, non posse queri Gentes quoque a Deo vocatas esse. Jam vero longe aliam agi rem deinde declarabitur. Clamant contra BRETSCHNEIDERUM singula verba PAULI. Quod temere summam disputationis reduxit ad vrs. 30—32. (eosque male explicatos) causa est erroris gravissimi.

Ut in omni indagandae veritatis officio proficiscendum est a rebus cognitis ac certis, et his ducibus diligenter et prudenter ignota, obscura, dubia investiganda et illustranda sunt: ejusdemmodi interpretem etiam oportet incedere. Quaerenda sunt cui curae est orationem scriptoris complecti talia, quae dubiis non possunt esse obnoxia. Tales sententiae statim accurate legenti obveniunt. Sic ponitur hypothesis quae tentanda est; jam perscrutanda tota disputatio et ad hypothesin perpendenda: quae tum suam naturam amittet, ubi singulae voces et dictiones, non *propter* eam expositae, verum sponte cum ea concordabunt. Sin vero ne sic quidem omnia rite et ordine exponi possunt, persuasum habeat explicator se nondum invenisse verum. Regnet in hac hypothesium administratione id quod certum est, ut perveniatur ad totius disputationis plenam certamque intelligentiam. Tale quid quaesivimus et invenisse nobis videmur. Primum consideravimus nostri capitis cum proxime praecedenti connexionem, si possemus inde proficere. Sed haec est admodum dubia, et multi hac via in alienam sententiam contorserunt Cap. IX. Tam laxa est conjunctio cum praecedentibus, ut quidam nullam omnino cernerent cohaerentiam et disputationem integram esse censerent nostrum caput. — Neque expedire arbitramur transitionem a prolusione vrs. 1—5. ad sequentia. Vocabula οὐχ οἷον δὲ ὅτι κ. τ. ἑ. non certam interpretationem habent. FRITZSCHIUS quidem et WINERUS et MEYERUS, in grammatica principes, suam quisque formulae exhibent interpretationem, quamquam alterius non reprobantes, ut assolet in nostra di-

sciplina. Non confert igitur ad contextum explicandum formula barbara, quae et ipsa ut intelligatur contextu adjuvanda est.

Itaque in ipsa disputatione quid evidens sit videamus. Jam de discrimine aliquo, de delectu facto sermonem esse, ét singula verba tam diserte arguunt ét imprimis vrs. 11 sqq., ut nemo unus contra dicere possit nec dicturus sit, dumne ulterius progrediamur et definiamus illum delectum, in quo versetur, quo tendat. Quae res jam ex ipso scriptore sunt conjiciendae et evincendae. Ut cognoscamus quam rem spectet delectus, quid aliis sit concessum, negatum aliis, attendendum primo loco capitis proximi argumentum et nostri introitus. Cap. VIII. praedicaverat Apostolus eorum felicitatem, qui Christo fide habita erant adepti integritatem (*δικαιοσύνην*). Capite exeunte grandiloquus eam extulerat et nulla non re majorem laudaverat et praecellentem, ita ut non possent non ipsius et lectorum animi vehementer beatitate Christianorum percelli. Sic aggreditur PAULUS ad disputationem cap. IX., cujus exordium scriptoris moestitiam et animum afflictatum prodit. Qua de re perpetua tristitia afficiatur non verbis aperit ipse; verum bene dixit REICHIUS (II, p. 259): „*Das beredte Schweigen über den Gegenstand des Schmerzes verräth die innere Bewegung, die tiefe Wehmuth*"; vrs. 3. significat fratrum suorum, popularium causa se esse in moestitia; quid vero deploret non eloquitur; at poterat neminem latere. Unusquisque cogitet necesse est miserrimam sortem Judaeorum, qui non acciperent salutem modo collaudatam et celebratam. Quasi per transennam hoc adspicitur in vocc. *ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν κ. τ. λ.* Voce *ἀνάθεμα* plerisque locis LXX reddunt חֵרֶם (GESENIUS, *Thes.* I, p. 521). Significat Hebraea vox *devotionem rei ad internecionem* (הֶחֱרִים „consecravit, devovit Deo ita ut redimi non possit"; vid. GESEN. l.l.). Tum etiam est *res Deo devota, aliquid divinae irae sacratum* cf. Jes. XXXIV, vrs. 5: עַם חֶרְמִי, 1 Reg. XX, vrs. 42: אִישׁ חֶרְמִי. Sic PAULUS, quum optat se esse *ἀνάθεμα*, optat se esse hominem divinae irae sacra-

tum, internecioni devotum; vidd. ut vocis ratio penitus cognoscatur doctae disputationes FRITZSCHII, II, p. 247 sqq. REICHII, II, p. 260 sqq. et WINERI, *Bibl. Realw.* s. v. *Bann*; 1, p. 134 sqq. (ed. 1847). Quod sequitur *ἀπὸ Χριστοῦ*, optime intelligitur si constructio habetur *praegnans*, h. m. *ἀνάθεμα εἶναι καὶ ἀπὸ Χριστοῦ* (*κεχωρισμένον* e. c.) Indicat scriptor procul esse a Christo, ab eo divulsum esse sibi valere idem ac *ἀνάθεμα* esse, extremae miseriae, *ἀπωλείᾳ*, deditum. Optaret hoc *ὑπὲρ τῶν κ. τ. ἑ.* vel *in emolumentum* fratrum (FRITZSCHE, MEYER, DE WETTE), vel eorum *loco* (RÜCKERT, OLSHAUSEN). Sententia omnino est, se optare miserrimum esse, si fratribus prodesse posset et ab his avertere ultimam miseriam. Effert PAULUS hoc votum verbis *ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς κ. τ. ἑ.* Dignum quod attendatur est *imperfectum* sine partic. *ἄν*. Recte monet REISIG (*de vi et usu ἄν part. p.* 139), ubi omittatur haec particula, significari eventum veritati proximum et jam certissimum, nisi ex conditione esset aptus. Cfr. KRÜGER, II, p. 168, 179. BUTTMANN, *Gr. Gramm.* ed. 17ae, § 139, 13. ROST in ed. nov. *Lex. Pass.* I p. 160 sq. Sic *ηὐχόμην* erit: „vellem, optarem, si fieri posset, si liceret, et volo etiamnunc si fieri potest". Addita particula *ἄν* declararet: „sed nunc non volo". vid. HERMANN *ad Viger.* p. 811. WINER recte locum sic reddit (l. l. p. 328): *„ich wollte, näml. wenn es ginge (und will also unter dieser Voraussetzung* *). Optabat igitur revera PAULUS omnium atro-

*) De omissa particula *ἄν* in Indicativis temporum historicorum inter alia haec disputat egregius Grammaticus RAPHAEL KÜHNER (in opere *Ausf. Gramm. der Griech. Sprache* II, p. 556) *„Der Sprechende nimmt alsdann in seiner Darstellung auf die in der Protasis ausgesprochenen Hindernisse und Störungen, wegen welcher die in der Apodosis ausgesprochene Handlung nicht zur Vollendung kommen kann oder konnte, keine Rücksicht, sondern stellt das Prädikat als eine wirkliche Thatsache hin, da ja die, in der Protasis ausgesprochene, nicht erfüllte Bedingung schon zur Genüge anzeigt, dass auch die davon abhängige Folge nicht eintreten konnte oder kann".* Saepe autem *protasis* non enunciatur vid. l. l. § 821 A 2. AESCHIN. *c. Ctesiph.* p. 455, 2. Utiliter de hac re monet G. BERNHARDY (*Wissensch Syntax der Gr. Spr.* p. 374): *„In allen solchen Fällen, ...geht das Imperf. auf eine begleitende oder vorgängige Bedingung zurück, sie mag nun ausgesprochen oder aus ihm selber zu*

cissima pati, si prodesse hoc poterat popularibus suis. Profecto horrendum votum declarat extremum malorum, quo obrutus esset populus Israëlis, nempe sejunctionem a Christo. Haec cogitatio animum PAULI affligit, nec mirum. Nam ipse compertum habebat quanta esset salus Christi; obversabatur ejus animo atrocissima eorum sors, qui hanc salutem rejiciebant. Tum impense diligebat suos populares et propinquos, quod a natura accepimus omnes. Et praeterea populus tam eximia ornamenta theocratiae consecutus (vs. 4, 5.) dignissimus erat cujus a Christo separationem ét miraretur ét doleret. Quamquam infra ad hanc rem redeundum est, quia officium impositum nobis est in hoc capite res nequaquam dubias defendere; tamen maneat in causa h. l. agi de salute Messiana, cujus expertes essent plurimi Judaeorum.

Alterum quod illustrare hîc animum induximus, cernitur in explicatione prioris partis vrs. 6.: *οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτώκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.*

Scilicet hisce imprimis verbis injunxerunt opinionem de consilio PAULI plerique interpretes, etiam optimae notae, quae nobis rejicienda videtur. Opinantur PAULUM vrs. 6 sqq. id egisse ut defenderet Deum a calumnia quae proferri posset, Deum promissis non stetisse, ex quibus exspectari posset ut ante omnes ceteros in regnum Messiae recepti Judaei essent. In hac sententia sunt praeter NÖSSELT, WOLF, DÄHNE, HAUSTEDT, BECK, al. etiam CALVINUS, BEZA, REICHE, DE WETTE, RÜCKERT, MEYER, Dr. W. MEYER, SCHOLTEN, l.l. II, p. 89 sqq. HOEKSTRA l. l. p. 334 sq. al. Proximum est ut comprobemus hanc esse in errore sententiam, et efficiamus quid secutus fuerit Apostolus vrs. 6 sqq.

entnehmen sein." Ceterum cff. ll. a KÜNHERO et BERNHARDYO laudati et a HARTUNGO *Lehre von der Partikeln der gr. Sprache* II p. 240 *sqq.* Excipiatur autem locus THEOCRITI *ΕΙΔ. κή*, 15, qui ex interpretatione BERNHARDYI simillimus erat Paulini; sed dubia est lectio; REISKIUS et SCHAEFERUS pro *μὲν ἐβολλόμαν* receperunt *κεν ἐβολλόμαν*, qua recepta lectione omnis perit analogia cum n. l.

Primum teneamus talem disputationem h. l. jure non exspectari posse. Nam ut Judaeismum oppugnaret, hanc epistolam non scripsit PAULUS. Fuerunt omnino qui hoc putarent suntque hodieque; sed nihil ineptius statuitur. Si hoc secutus esset, debuisset probare Jesum esse Messiam, non vero profectus a divinitate religionis Christianae exponere ejus decreta. vid. BAUR, *Paulus*, p. 344 sqq. At ne tum quidem, ubi contra Judaeos dicere opineris Apostolum, apta videtur ejusmodi sermocinatio. Tam firme enim credebant Abrahami sobolem populum esse Dei dilectum et prae ceteris ornandum omnibus beneficiis, ut nemo Judaeus in suspicionem veniret Deum fefellisse fidem datam Abrahamo ejusque posteris. Ex quo si quaesiveris quare hic populus Christum non reciperet, continuo responderit: at Jesus tuus non est Messias, quem nos exspectamus, cujus regni principes erimus ego et propinqui.

Ergo stet, spectare Christianos quaecunque scripserit noster, et in coetu Christianornm agitari lites et controversias, quas in epistola attingat. Praeterea jure statui potest eum non contra speciem pugnare, ideoque non finxisse sponte sibi aliquid, quod propulsaret; sed has opiniones revera fovisse coetum Romanum vel quosdam ex illo. Jam tune credas eousque irreverentiae et impietatis iisse Christianos, ut non modo paulisper et verecunde addubitaverint de constantia Dei, verum etiam aperte accusare ausi sint ejus inconstantiam, de quo sanctissime deberent cogitare; et ita tenaciter perseverarint Deum fidem fefellisse, ut tam copiose has opiniones redarguere debuerit PAULUS? Profecto qui haec concipiunt mente et contendunt non magis Christiani sunt quam ipsi Judaei. — Solet quidem noster proponere in disputatione sententias, quas ipse existimat maxime impias neque adjudicat Christianis. Sed saepe talia dixit PAULUS ut non posset fieri quin efficerent lectores quod tamen cogitatione comprehendere esset jam improbum; cf. in hac epistola III, 3, 6. VI, 2, 15. VII, 7, 13. IX, 14. XI, 1, 11. Gal. II, 17. III, 21. Plerumque ducit tales opiniones *τί οὖν;* vel *τὶ οὖν ἐροῦμεν;*

illico repelluntur verbis *μὴ γένοιτο*. Nostro autem loco neque hoc sequitur neque illud praecedit; et praecipue attendendum e proxime dictis nequaquam sponte consequi Dei inconstantiam. Namque non dixit Judaeos expulsos esse e regno Messiae; quum primaria sententia sit, se velle pro iis *ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τ. Χριστοῦ*, qua non continuo excitatur suspicio inconstantiae divinae. MEYER (*Komm.* p. 287) rem sic expedire sibi videtur: „*denn diess besagt, dass die Klage Pauli ganz etwas Anderes sei, als eine Klage über Vereitelung des göttlichen Wortes*". Sed hanc rationem non indicat scriptor, et insuper nemo eam efficeret lectis vrs. 1—5.; quare non opus erat tanquam interpellationem eam refutare. Idem dici potest contra expositionem JO. ALBERTII (*Obs. philol.* p. 316 sq.) meliorem omnino quam MEYERI. Hos vv. dd. praeterea luculenter refellunt quae mox tradituri sumus. Unum hoc moneatur, si quis miretur unde fiat ut quem summis affecerit Deus beneficiis idem nunc populus sit misserrimus auctore PAULO; unumquemque pro conscientia culpae, quae omnibus hominibus inest, praesertim Christianis, et pro persuasione pia Deum non esse causam peccatorum, confestim rem dijudicaturum h. m.: enimvero ipsi se contumaciter avertunt a Christo. — Itaque res ac ratio PAULUM non invitasse videntur ut huic dubitationi occurreret et multis verbis repelleret.

Hactenus quodammodo *à priori* haec disputavimus. Quamquam non contemnenda haec ratiocinatio, tamen destituta *positivis argumentis* q. d. non excedit probabilitatem. Quare nunc veniendum est ad ipsam disputationem conspiciendam, qua cernuntur argumentorum momenta. Haec autem ita comparata est ut prorsus non recipere videatur opinionem, de qua agimus. Ne dicam de ratione, qua, ut Deus appareat constans, ejus promissa quasi pueriliter extenuentur ac detrectentur, parum ad persuadendum appositâ; reputemus potius quam diserte dicta opinio orationis Paulinae reprobetur conformatione. *Primum* quidem non indicavit scriptor se hanc rem acturum (ut III, vrs. 3.), neque hoc efferri voce *λόγος* mox pro-

babimus. *Deinde* exemplum Isaäci et Ismaëlis solum convenire videtur huic consilio; vrs. 10. jam omnis *promissionis* notio evanuit. Hoc non fugit perspicacissimum MEYERUM, qui sic rem explicat: „*Der bestimmtere Begriff der Verheissung, welcher im vorhergehenden gehalten war, erweitert sich hier zu dem allgemeinern der göttliche Willenbestimmung.*" l. l. p. 290). DE WETTIUS quoque quum perspiceret sermonem esse de *electione* pervertit interpretationem verborum *οὐ μόνον δὲ ἀλλὰ καί*, ne inepta videretur oratio. Oblique egregii hi viri comprobant se nihil vidisse praeter speciem, quum *theodiceam* agi a PAULO fingerent. DE WETTIUS enim ad fraudem grammaticam confugit, MEYERUS autem facit Apostolum sui consilii immemorem; ad libidinem statuit a vrs. 10. mutasse PAULUM argumentum, etsi ne levissime quidem aliquid tale significatur. Fortasse crediderim, si paulisper a proposito abiisset; sed non redit ad id quod expositurus erat, MEYERO docente, qui ponit PAULUM voluisse defendere Deum, sed consilii oblitum alia egisse et non effecisse quod in animo fuisset. Hoc consequitur e sententia MEYERI; quod admitti non posse videtur. *Porro* in tota disputatione nihil offenditur quod defendi Deum commoneat. Solet PAULUS, ubi rem aliquam satis illustrasse et probasse sibi videtur, argumentum breviter repetere; in hoc quoque capite tales comprehensiones occurrunt, sed ita constitutae sunt ut aliud argumentum quam *theodiceam* designent. Demit omnem dubitationem vrs. 11.: *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ*; qua admonitione declaratur consilium disputationis Paulinae; cf. vrs. 16, 18, 19 sqq.: nusquam promissorum vel minima cogitatio offenditur. Praeterea dignum quod accurate perpendatur existimamus quod dixit Apostolus vrs. 27 sqq. Hinc luculenter apparet PAULUM longe aliud secutum esse quam ut tueretur fidem divinam. Dictum Jesaiae X, 22, sq. memorat noster, quod his vv. reddunt LXX (22): *καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα αὐτῶν σωθήσεται.* (23) *λόγον [γὰρ] συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον κύριος ποιήσει ἐν τῇ οἰ-*

κουμένη ὅλη. Prior versus e textu Hebraeo sic vertendus est: „nam" (כִּי respicit vrs. 21., quo dicitur „reliquias populi Jacobi conversum iri ad Deum") „nam etiamsi populus tuus o Israël! esset ut arena maris (numero aequaret maris arenam), reliquiae (*tantum*, nam hoc docet prioris cum altero membro conjunctio (אִם Jes. I, 18. Job. IX, 20. Ps. CXXXIX, 8. Gr. εἰ καί, κἄν) et hujus vrs. cum vrs. 21.) se convertent (יָשׁוּב שְׁאָר)". Vates loquitur de Assyriorum rege, cui mandarit Jehova castigare populum suum. Hic autem longius ausus clade maxima afficietur ab ipsius Dei manu; pulcre haec strages describitur ad vrs. 19. Vrs. 20. redit Propheta ad populum castigatum (vid. vrs. 12), et benevole ex periculo ereptum. Scilicet reliqui Israëlitae olim solo in Deo nitentur; ad fortem Deum revertetur residua pars. vrs. 22: recte hoc dico, nam paucitas Judaeorum tantum remanebit; vrs. 23. denuo mentionem facere videtur rigoris justitiae ultricis Dei, qui manet gentem Judaeorum (vid. KNOBEL, *der Prophet Jesaia*, p. 72, 77 sq.). Loco hoc non intellecto LXX יָשׁוּב verterunt σωθήσεται, opinati sermonem esse de reditu ex exilio in Palaestinam. Hac versione perversa utitur PAULUS fere ad verbum; verum ita in usum suum convertit, ut σωθήσεται intelligi voluerit de salute Messiana, ut videtur perductus verbi σώζεσθαι ratione. Jam prior versus non multum difficultatis habet in PAULI oratione. „Quamvis" (sic utitur P. conj. ἐάν. cf I Cor. IV, 15. XIII, 1, 2, 3. II Cor. XII, 6) „infinita esset Judaeorum multitudo, servabuntur tantum per Messiam reliquiae" (κατάλειμμα (FRITZSCHE, RÜCK.) vel ὑπόλειμμα (A. B. LACHM. TISCH. DE WETTE, MEYER); sententia est eadem). De *arena* multitudinis symbolo vid. WETST. II, p. 68 sq. qui pulcros locos collegit. Graviter autem magno numero opponi τὸ ὑπόλειμμα non est quod moneam. Contexuit orationem scriptor a vrs. 24., et quidem ita ut primum ll. duobus ex Hosea petitis ostenderit jam pridem esse praefinitum *gentes* participes futuras salutis Messianae (ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν); inde aggressus partem alteram vrs. 24. (ἐξ Ἰουδαίων), probare nunc studeat voluntatem

esse Dei, ut paucitas tantum gentis Israël reciperetur in regnum Messiae. Quod, si sensus litteralis spectatur, extra contextum loci Jesaiani, haud dubie effertur. — Sequitur versus obscurae sententiae; quum textus Hebr. non difficilis sit, molestia interpretationis debetur LXX, qui locum ineptissime reddiderunt. Liceat mihi referre explicationem FRITZSCHII, qui quoad ejus fieri potest locum explanat II, p. 349 sq.: „Ego PAULUM haec dicere arbitror: (perpauci Israëlitae per Messiam beabuntur vrs. 27.). Nam quod dixit (v. 27) Deus peragit et viae compendio usus peragit (et *celeriter* peragit) per integritatem I, 17. (nempe quam paucis Israëlitis destinat v. 27.): etenim maturatum oraculum (i. e. oraculum, cujus eventum maturare decrevit) *ad eventum adducet* dominus in terra. Hoc pacto *paucissimos Judaeos messianam beatitatem consequuturos esse* duobus argumentis probatur: uno, *decrevisse* Deum quod dixerit celeriter effectum reddere integritate paucis Judaeis destinatâ (λόγον—ἐν δικαιοσύνῃ), altero, *ratum facturum esse* Deum oraculum suum in terrâ (ὅτι λ. σ. ποιήσει κ. ἐ. τ. γ.)." Modeste et intelligenter de h. l. dixit DE WETTE (*K. Erkl.* p. 142): „*Der Ap. scheint in der ganzen undeutlichen Stelle den Gedanken eines von Gott beschlossenen und vollführten gerechten* [?] *Rathschlusses zu finden*". Ceterum non sumus ii qui post Fritzschiorum, Meyerorum labores pellamus caliginem. — Notetur autem vocem λόγος esse *dictum*; ubi spectet oraculum (vrs. 27), significare *oraculum, edictum*; vid. MEYER a. l.

Iterum laudat PAULUS dictum Jesaianum (I, 9). Legitur hic locus in pulcherrima pericope, quae ducit vaticinia Jesaiae. Magnifice depingit Propheta et incusat Judaeorum stuporem et ingratum animum; deinde ipsos alloquitur vrs. 5., exponens miserrimum populi ac patriae statum; qua in horrenda vastitate unam residuam esse urbem Hierosolyma. „Quam urbem nisi nobis reliquam fecisset Deus, Sodomae et Gomorrhae fata experti fuissemus" (vrs. 9). Textus Hebr. exhibet: „nisi Deus agminum nobis reliquisset שָׂרִיד כִּמְעָט etc". LXX: σπέρμα, probantes etymologiam vocis שָׂרִיד *semen, quod ad sationem super-*

est; vid. ROSENMÜLLER a. l. Rectius autem GESENIUS ducit vocem a שָׁרַר *fugit* (Jos. X, 20), unde subst. *superstes*, *qui magna ex clade elapsus est*. Quod additur (כִּמְעָט), intendit sententiam *paucitatis* reliquiarum pro hominum Judae multitudine. Patet PAULUM a sensu historico et grammatico discessisse, ac libere in usum suum convertisse verba vatis. Ad litteram reddit Apostolus LXX. — Quo consilio laudaverit hoc effatum, facile perspicitur; sc. ut paucissimos tantum Judaeorum divina gratia ad salutem Messianam praestitutos esse monstraret; qua in re adjuvabat vox σπέρμα. Recte monent Interpretes perexiguum esse, quod ex messe proximi anni sationi asservetur, ratione habita factae messis (Argutius BECK: σπέρμα „*Keim einer neuen Lebensbildung*"). Sententiae in hoc vrs. sunt hae: non tota gens Israëlis praefinita est saluti Messianae; immo paucissimi ex iis sunt; si qui reddantur beati Judaeorum, debetur singulari Dei gratiae. Quod autem observant plerique Interpretes designare σπέρμα „paucitatem, quae magnum sui generis numerum progeneret", ut certissime hoc secuti sunt LXX, ita quo pacto haec conveniat notio et apta sit in consilio et sententiarum perpetuitate loci Paulini equidem non perspicio.

E disputatis jam probabile est opinionem, quam protulerunt multi de consilio vrs. 6 sqq., perversam esse; praeterea satis clare ostendit explicatio vrs. 27, 28, 29., quaenam sit propositio disputationis Apostoli. Nam hîc habemus haud dubiam declarationem consilii decreti divini de adsciscendis sociis regni Christi. Oraculum, quo decreta praedixerit Deus auctore PAULO, dicitur vrs. 28. (cl. 27.): λόγος. Eadem significatione esse hanc vocem vrs. 6. ét analogia commendatur ét ob alias causas perquam probabile mihi videtur. Superest ut exponamus eas. Itaque redimus ad id unde profecti sumus, ad explicationem vrs. 6. Praecedat nostram interpretationem vulgatae refutatio. Primum attente reputemus eos qui λόγος τ. θ. simpliciter reddant *promissum Dei* deficere specimen omne. Nullum attulerunt hujus explicationis defensores inopia; nam in N. T.

non legitur hac vi. Specie huc referri potest Rom. III, vrs. 4., quamquam non ultra speciem; *οἱ λόγοι τ. θ.* multis sunt *Dei promissa*. Hunc locum non valere contra sententiam dictam ex hisce efficimus: 1°. locus ad litteram transcriptus est e versione LXX (Ps. LI, 4), ideoque minus validus ad usum Paulinum docendum; 2°. Alexandrinis longe alia subjecta est voci *λόγος* sententia. In Psalmo inducitur Davides dolens sua peccata et judiciorum Dei agnoscens aequitatem: „tibi soli peccavi, o Deus! et perpetravi quod malum est in oculis tuis לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ, i. e. ut sis justus (ut appareas justus) in effatis tuis". Particula לְמַעַן nunquam habet vim *ἐκβατικήν*, ut multi opinantur; ut Gr. *ἵνα* semper usurpatur *τελικῶς*, etiam Ps. XXX, 13. Hos. VIII, 4. (contra ROSENMÜLLER). Cf. FRITZSCHE *ad Matth.* p. 836 sqq. GESENIUS, *Lex.* (ed. 1833.) p. 602. Voce בְּדָבְרֶךָ (Inf. Kal c. suff.) significantur verba Dei, quae per Nathanum edicta Davidem arguerant facinoris, et quibus poenas minatus fuerat. Ex quibus efficitur Alexandrinis non in animo fuisse per vocem *λόγοι* efferre *promissiones*. Simplex Psalmi sententia est Davidem peccasse ut illustraretur divina justitia. 3°. consulatur loci Paulini ratio. Manifestum est PAULUM non curasse sententiam loci Davidici; nam Apostolus agit de fructu et decoribus, quibus Judaei praestarent ceteris gentibus. Inter haec est *ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ* „quod iis concredita sunt Dei oracula". Universe hoc denotat *λόγιον* etiam apud exteros scriptores; vid. L. BOS *Exercitt.* p. 101 sq. ALBERTI *Observv.* p. 298 sqq. Idem est אִמְרֵי אֵל et Lat. interdum *dictio*. cf. Act. VII, 38. I Petr. IV, 11. Significat igitur in universum Dei oracula et effata per legem et prophetas. Contextus doceat quid spectetur quoque loco; nostro de vaticiniis Messianis imprimis sermonem esse docet vrs. 3. Hic vrs. continet interrogationem hinc facile nascentem: „at enim, num *ἀπιστίᾳ* nonnullorum irrita fiet fides divina?" Cui occurrit PAULUS vrs. 4: Minime vero! Sit potius quivis homo fallax quam Deus; ut est in Scriptura: *ὅπως ἂν δικαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις σου κ. τ. λ.* Quibus ver-

bis Apostolus non vult efferre *separatim* Deum stare *promissis* suis, sed *generaliter* Deum verum dicere, non mentiri, esse ἀληθῆ. Ineptius quis referret ἀπιστίᾳ Judaeorum aboleri *constantiam* Dei *(getrouwheid Gods in 't vervullen zijner beloften)*; rectissime vero *veracitatem* u. i. d. *(waarachtigheid, onfeilbaarheid in zijn uitspraken)*. — Haec si recte dicta sunt, nullum omnino exemplum suppetit usus improbati. Neque apud classicos usquam simpliciter *promissum* vel *pollicitationem* denotat vox vulgatissima. Nam e. c. locum SOPHOCLIS *Oed. Col.* 651. (ed. SCHNEIDEWIN): οὔκουν πέρα γ' ἂν οὐδὲν ἢ λόγῳ φέροις non recte G. HERMANN vertit „quam simplici promisso"; redde: „simplici verbo"; (nos: *woord*): quamvis subtilius discrimen tamen servandum, ne nimium voci tribuamus. — Tandem quaerimus quidni, si voluisset PAULUS efferre *promissionem*, exarasset potius vocem ἐπαγγελία? Nam disertius haec vox declarasset PAULI mentem quam λόγος, quod, etsi posset sic usurpari, haberet summam ambiguitatem propter multiplicem significationem; vrs. 4. ἐπαγγελία legitur, propria rei designatio; vrs. 9. scripsit ἐπαλλεγίας ὁ λόγος, nimirum quia ὁ λόγος non sufficeret ad declarandum quid sibi vellet; vrs. 8. quoque exaravit ἐπαγγελία. Haud sine causa deseruisse hanc appellationem censeo Apostolum, praesertim quae quasi solemnis sit et technica appellatio promissorum Abrahamo et posteris eius datorum, quae Messiae eiusque beatitatis progeniei Patriarcharum facerent spem. vid. ll. quos ex epist. ad Rom. Gal. et Hebr. congessit BRUDER *Ταμ.* p. 336. Ne autem putemus PAULUM orationis consulturum concinnitati et suavitati variasse vocabula, vetat consuetudo nostri; cf. Rom. IV. Gal. III. Itaque efficimus eum ratione consilioque pro ἐπαγγελία scripsisse ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. — Hisce omnibus jam satis comprobatum esse existimo PAULUM non id agere ut defendat Deum contra malitiosam incusationem quod divina promissa jam ad irritum ceciderint quum non omnes Judaei cives fierent regni Messiae, quod sibi deberi promissis confisi opinarentur.

Reliquum est ut paucis nostram explicationem vrs. 6. narremus et tueamur. — λόγος est *verbum*, id quod ab aliquo (τινός) dicitur, quae significatio varie deflectitur ad res *), e. c. Joh. IV, 37. est *dictum, sententia*; Rom. XIII, 9. Gal. V, 14: *praeceptum*; de *oraculis Dei* usurpatur Rom. IX, 28. 1 Cor. XV, 54. Joh. XII, 38. XV, 25. Act. XV, 15. al.; apud Graecos quoque frequens hic usus est. Eadem potestate n. l. valere arbitror. Scilicet significat PAULUS voluntatem quam Deus declaraverit (edictum, eloquium), eamque pertinentem ad regni Messiani administrationem. Oratio sic contexta est: οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Vehementer verba οὐχ οἷον δὲ ὅτι exercuerunt Interpretes. Rudis exegesis superiorum aetatum omnia absurda miscuit. Nostra aetas egregie illustravit hanc formulam; vidd. praeter RÜCKERTI, MEYERI, WINERI (l.l. p. 664) HERMANNI (*ad Vig.* p. 788) conatus, imprimis FRITZSCHE, *Sendschr. an Tholuck* p. 58 sq. et *ad Rom.* II, p. 276 sqq. Hinc depromam quod mihi videtur ex usu esse; οὐχ οἷον per attractionem dictum est et complectitur: οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι..... non est tale, quod — h. e. minime sic se res habet, longe, multum abest ut —, minime vero, minime omnium. Usus voluit ut formula adverbii fortiter negantis vim adipisceretur: unde factum est ut PAULUS, oratione constructa *ad sensum* negationis: „multum abest", hanc continuaverit per conjunctionem ὅτι. (haec doctissime demonstravit FRITZSCHE l.l.) Sensus est: „sed procul abest, vel, sed minime fieri potest ut Dei edictum abolitum sit". Nunc optime cohaeret oratio. Respondet hic vrs. 6. dicto vrs. 3. ηὐχόμην κ. τ. ἑ. „vellem — sed (δὲ) fieri non potest". Flagitatur

*) *ὁ λόγος bedeutet Gotteswort im Allgemeinen, die göttliche Offenbarungsurkunde, natürlich in der besonderen Beziehung, in der der Zusammenhang Gebrauch davon macht, in Beziehung auf die ἐκλογή Israels — eingeschränktere Sinnerklärungen sind blose Abstrakta specialisirender Logik, wie sie sich in jeder Sprache des Lebens anbringen lässt, wo das Allgemeine oft für das Besondere steht".* BECK l. c. p. 30.

Nostra loci rationis explicatio *videtur* fuisse etiam KEUCHENII (*Annot.* p. 342) et proposita est a FRITZSCHIO, etsi hic alteram non repellit.

hujusmodi sententia, quae respondeat hypotheticae vrs. 3. Si voluisset PAULUS dicere se non queri Deum promissiones fefellisse, exspectaremus *οὐχ ὅτι*, vel *ταῦτα δὲ οὐκ εἶπον*, vel aliquid simile, quo perspicuitati consuleretur. — *ἐκπίπτειν* per figuram dicitur. Unde sit petita metaphora neque expedit nec facile dicetur, quum in omnibus linguis sint translationes, quarum origo sit vetustissima, quamque alii aliter referant. Certe 1 Cor. XIII, 8. significat *vim amittere*, et n. l. *ad irritum cadere, eventu destitui, aboleri, abrogari*; vidd. ll. apud KYPKE, WETSTEIN, FRITZSCHE al. — Jam rationes subducamus: optaret Apostolus a Christo sejunctus esse et devotus irae divinae, si hoc prodesse posset fratribus suis, summis decoribus a Deo ornatis; sed fieri non potest. Deus non voluit ut omnes Israëlitae consequantur salutem Messianam; haec vero voluntas declarata edictis vi et efficacitate non destituta est, etiamnunc valet. — Nunc expositurus est PAULUS voluisse et praestituisse Deum ut delecti tantum de Israëlitis fierent regni Messiae cives *).

Hac orationis conformatione expedita brevem adjungimus enarrationem vrs. 6b—9., quippe quae quidem sententiam significatam illustret neque vero consilium nostrum magnopere adjuvet. Tum a vrs. 10. incipit ponderosior disputatio, quae alia paragrapho expendenda erit.

Οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ. h. e. non omnes ex Israële prognati sunt veri Israëlitae, ad quos pertineant *αἱ ἐπαγγελίαι*; tum pergit P. vrs. 7: „neque quia sunt Abrahami progenies, ideo sunt ejus *τέκνα*". Omnes Judaeos *genitos* ex Abrahamo (*σπέρμα*) concedit, *τέκνα* esse cunctos negat. Jam continuo ponit discrimen inter Judaeos (Gal.

*) Meminerint lectores sententiam dogmaticam, utramcumque interpretationem sequaris, eandem esse hujus loci, ut videri potest ex enarrationibus FRITZSCHII, RÜCKERTI, MEYERI, DE WETTII. Nos autem solis grammaticis et logicis rationibus perducti sumus ad diversam explicationem, quae nobis videtur multis rationibus alteri anteferenda esse. Huic causae alienae sunt ratiocinationes dogmaticae.

III, 29.), quorum alii jura et ornamenta consequantur promissa, alii non item; hoc autem discrimen constituisse Deum illico declarat loco Genes. XXI, 12: ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. Loco Gen. adhortatur Deus Abrahamum, ut Sarae morem gerens Ismaëlem domo expellat; ne metuat pater de promissis sibi et posteris datis, dicit Deus per Isaäcum ei vocatum iri posteritatem. Itaque non e lumbis patriarchae progeniti nanciscuntur haereditatem promissorum auctore PAULO, sed quem Deus elegit et *ipse* constituit haeredem. Posterius hoc leviter tantum significavit; vrs. sq. clare eloquitur. Laudat enim vrs. 9. oraculum Dei Abrahamo dictum, quo Sarae praeter legem naturae filius praenunciabatur, nimirum hoc consilio, ut appareret sua vi ac virtute constituere Deum haeredes promissionum. Habemus igitur in hac disputatione (vrs. 6—9.) haec duo: non omnes Israëlitae sunt populus Dei, et: divina potestate facti sunt delecti, qui jura et ornamenta Israëlitarum consecuturi sint. Jam manifestum est PAULUM respicere salutem Messianam, cujus fiant participes ingenui Abrahamidae; non potiantur autem qui non sint veri filii Abrahami s. filii Dei. Itaque non destituisse eventum voluntatem declaratam Dei, neque hanc posse ad irritum cadere.

Satis habuimus lineamenta adumbrare hujus disputationis. Plura exhibent FRITZSCHE, RÜCKERT, MEYER, DE WETTE. Multas omisimus diversas explicationes, quas refutatas videas apud viros memoratos. Una nobis est tradenda ob singularem ejus perversitatem, et ob miram confidentiam, qua HAUSTEDT post alios hanc opinionem tanquam unam veram jactat. Proxime eam mutuatus est HAUSTEDT a DÄHNIO et narravit in commentatione supra dicta, p. 48 sq. Scilicet opinantur hi PAULUM hanc totam disputationem habuisse ut probaret Dei libertatem in proponendis conditionibus ad recuperationem salutis. PAULUM queri Judaeos se indignos reddidisse summis beneficiis divinis; non credere; ideo salute Messiana excidere. Hanc exclusionem non pugnare cum gratia Dei exposita; nam non deberi physicae generationi promissa, sed iis qui ut Abra-

ham fidem haberent. — Sed neque de conditione aliqua lata sermo est, et de fide nihil legitur vel significatur. Ineptissimum, hercle! informant scriptorem PAULUM, qui nihil dixerit de eo quod senserit, ne verbo quidem. At ineptior nobis videtur Interpres, qui praetermissa satis declarata scriptoris sententia aucupet opiniones alienas, sed Dogmatico acceptiores quam veram sententiam. Infra nobis dabitur copia refutandi HAUSTEDTIUM et DÄHNIUM verbis disertis PAULI. Nunc *negative* u. d. agendum erat.

---

§ 2.

Explanatio dictorum Rom. IX, *vrs.* 10—13.

Diutius morabimur in hac parte sermonis Paulini, cum ob multas difficultates interpretationis, tum quia hac cernitur summa doctrinae nostrae, et mille modis sententias Apostoli perverterunt Interpretes dogmatici. Flagitant res ac ratio ut accurate, juste, studiose perscrutemur orationem PAULI, ut veras assequamur sententias.

Omnium primum grammatica verborum exponenda est conformatio et consecutio. Incipit vrs. 10.: *οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα.* Est dictio elliptica, non dissimilis illi Graecorum *οὐ μόνον γε, ἀλλὰ καί*, quae supplenda est e sententiarum perpetuitate: plerumque verba praecedentis enunciati mente repetenda sunt, ut XEN. *Cyrop.* I, 6, 17: *ἦ καὶ σχολὴ, ἔφη, ἔσται, ὦ πάτερ, σωμασκεῖν τοῖς στρατιώταις; Οὐ μὰ Δί', ἔφη ὁ πατὴρ, οὐ μόνον γε, ἀλλὰ καὶ ἀνάγκη.* cf. VIII, 3, 7. PLATON. *Menon.* p. 71 B, *Gorg.* 490 E: (CALLICLES) *ὡς ἀεὶ ταὐτὰ λέγεις, ὦ Σώκρατες.* SOCR. *οὐ μόνον γε, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν.* vidd. ll. a WINERO (l.l. p. 655) et FRITZSCHIO (II, p. 289) laudati; et KYPKE II, p. 165. VIGER. *ed.* HERM. p. 543. Rom. V. 3, 11. VIII, 23. 2 Cor. VIII, 19.

Ut locus noster bene conformetur, tria haec tenenda sunt: supplenda est ellipsis e superioribus; conveniat accessio cum Nominativo *Ῥεβέκκα*; sit congruens dicto *ἐῤῥήθη αὐτῇ* vrs. 12. (Hoc notavit MEYERUS a. l.). Hac ratione syntactica perspecta jam continuo improbatur eorum explicatio qui addunt cogitatione: *τοῦτο* (RÜCKERT, DE WETTE, Dr. W. MEYER). Hi insuper statuunt mancam esse orationem, quum sic scribendum fuisset: *ἀλλὰ καὶ τῇ P. κ. τ. ἑ.* Quo fit ut ineptissima reddatur oratio. Nam vrs. 11, 12. efferunt sententiam per se absolutam, in qua nihil confusi vel manci est; et conj. *γάρ* (v. 11.) satis declarat rationem dari enunciati praecedentis, quod ideo per se stare necesse est (vid. ALBERTI *Observ. Philol.* p. 318 sq.). Nobis non probantur qui anacoluthias et soloecismos deprehendunt ubi nec opus est neque aptum quidem. Non magis audiendi sunt nostrates vertentes: *ende niet alleenlijk [dese], maer ook Rebecca [is daer van een bewijs]*", et NÖSSELT qui supplet orationem sic: *οὐ μόνον δὲ Σάῤῥα δείκνυσι τοῦτο*; cujus sit sensus: „neque vero Sarae unicum exemplum est, quod haec doceat, sed Rebeccae historia etiam". Haec non a grammatica sunt profecta, quod demonstrare non opus est. Ceterum non perspicitur quo jure addatur *δείκνυσι τοῦτο*, quum Sara nihil ostenderit; neque quid faciet hîc Rebeccae *historia*. Plana est oratio, si intelligimus eam hac ratione: *οὐ μόνον δὲ Σάῤῥα ἔλαβε* s. *εἶχε λόγον, ἀλλὰ κ. τ. λ.* Sic recte se habet *Ῥεβέκκα* in Nominativo neque sine causa hoc exaratum esse videmus; praedicatum convenit cum *ἐῤῥήθη αὐτῇ* vrs. 12., ubi explicatur vrs. 10. (*γάρ*). Et e praegressis nihil aptius repeti potest; nam Rebeccam opponi Sarae per se patet; tum Rebecca dicitur dictum accepisse de prole sua (vrs. 12.), et sermo fuerat de oraculo divino dato de filio Sarae (v. 9.): ecquid igitur dubitari potest quin ideo matres nuncupentur et componantur, quod utrique filiorum sors edicto Dei sit praenunciata? Itaque habemus: non solum Sara accepit oraculum Dei de prole sua, sed etiam Rebecca etc.; nam, *μήπω κ. τ. λ.*..... (v. 11.), dictum est illi.....; jam se-

quitur argumentum oraculi divini vrs. 12. Obloquitur nobis RÜCKERT ét in „*Magazin*" p. 22 sqq. ét in „*Commentar*" II, p. 27 sq. hisce potissimum rationibus. 1°. promissionem non Sarae datam esse, sed Abrahamo. Hoc argumentum non magni fecit ipse RÜCKERT; et recte. Nam in narratione Gen. XVIII, vrs. 13—15. promissum ad ambos parentes pertinet. Praeterea inconsiderate dixit vir cl. in praecedentibus potuisse scribi: ἔσται σοι υἱός. immo legitur rite ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός; manifeste h. s.: *Sarae* erit filius, oppositae Hagari, cujus filius excludebatur haereditate. Concinne igitur Sara et Rebecca componuntur. Quid? quod memorata Rebecca jubet meminisse Sarae. 2°. refert RÜCKERT primariam sententiam praegressorum non esse quempiam accepisse promissionem, sed τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας esse veros Abrahamidas. Sed non percepit orationem adversarius noster. Monstravit scriptor non physicae generationi illigatam esse haereditatem promissorum, sed voluntate Dei dari; esse delectum inter sobolem Patriarcharum (v. vrs. 6.); quod ita voluisse Deum e dictis ejus apparere. Narraturus divinum decretum de filiis Rebeccae, quod huic erat praedictum, apte sic contexit orationem, ut voluntati Dei declaratae Sarae annectat quid Deus de gemellis Rebeccae constituerit et matri edixerit. Hoc modo omnia praeclare cohaerent. 3°. contendit RÜCKERT, cui assentitur DE WETTE, hactenus de promissis sermonem fuisse; vrs. 10 sqq. planc hanc notionem evanuisse, et agi de electione inter fratres: quocirca e praecedentibus inepte suppleri nostram formulam concludunt. Ipsum hoc erat de quo DE WETTIO objecimus, quum interpretabamur vrs. 6. (v. p. 135.). Male intellectus vrs. 6us effecit ut locum quoque nostrum perverterint viri praeclari. De promissionibus non de industria egit PAULUS; summa disputationis erat Deum pro sua voluntate constituisse haeredes promissorum. Ferebant res ut memoraret promissa, sed minime Sarae vel Abrahami vel Isaaci causa; quo jam evanescit notio promissi proprie dicti; sed ut doceret quid Deus voluisset. Quoniam oracula divina promissis con-

tinebantur, haec tangit, quamquam satis elucet propositum narrandi edicta Dei de sobole Abrahami, cui universae non praestituerit salutem Messianam, sed cum delectu (v. vrs. 11.). Recte sic procedit oratio, quae nunc exhibebit quid decreverit Deus de geminis Rebeccae.

Grammatica structura admonemur graviora hîc sequi et aptiora ad cogitata scriptoris explananda et illustranda (*οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καί.* v. KÜHNER III, p. 424). Eadem constructio arguit non aliam rem agi, sed eandem (KÜHNER *ad Comm. Socr.* I. 6. 4), quae aptioribus et validioribus argumentis confirmanda sit. Ingressus orationem verbis dictis eam sic pertexit: *ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν. — κοίτην ἔχειν ἔκ τινος ἀνδρός* significat *concepisse ex aliquo, gravidam esse ex aliquo* (v. *μήπω γὰρ γεννηθέντων* vrs. 11). *) *ἐξ* designat auctorem graviditatis. Verba *ἐξ ἑνὸς κ. ἐ. Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν* plerumque explicantur ut appositum sit *Ἰσαὰκ τ. π. ἡ.*, h. m.: quum gravida esset ex uno (viro) np. Isaaco patre nostro. Verum sic non clarum est quam ob causam hoc *ἐξ ἑνός* adjecerit PAULUS. Opinantur RÜCKERT, GLÖCKLER, MEYER, al. ideo hoc additum esse ut indicaret scriptor geminos prorsus esse pares, quippe qui ab eodem patre essent procreati. Sed loci pragmatismus q. d. hac ratione nullus est. Nam idem valet de Isaaco et Ismaële. Citius exspectares mentionem unius matris, quae non fuerat eadem filiis Abrahami. Quare probabilius videtur distinguere post *Ἰσαάκ*, hoc nomine juncto cum *ἐξ ἑνός*, ut evadat haec sententia: quae ex

*) De voce *κοίτη* non disputabo h. l. quia non opus est post eruditam FRITZSCHII dissertationem. Hoc unum monere liceat, temere MEYERUM auctoritate deceptum VALCKENAERII (*Sel.* II. p. 594) negasse vocem *κοίτη* apud classicos scriptores significare *concubitum*, quemadmodum apud Tragicos et HOMERUM *λέχος* et *εὐνή*. Nam de *lecto geniali κοίτη* frequenter a Tragicis usurpatur, unde facillime manat notio *concubitus*, ut locum habet in vocibus *λέχος* et *εὐνή*. Certissime ipsum *concubitum* denotat *κοίτη* EURIP. *Medea*, 150 (KLOTZ): *τίς σοί ποτε τᾶς ἀπὶ ἄστου | κοίτας ἔρος, ὦ ματαία, | σπεύσει θανάτου τελευτάν; Hippolytus*, 154: *ἢ πόσιν.... κηραίνει τις ἐν οἴκοις | κρυπτᾷ γε κοίτᾳ τῶν σῶν λεχέων.* (VALCKEN.) vid. SCHRADER ad MUSAEUM, p. 149.

uno Isaaco gravida erat. Scilicet quum constituendus esset auctor posteritatis Abrahami, non mirum oraculo Deum hanc posteritatem designasse. Sed qui constitutus erat haeres fratre rejecto, Isaacus, hic quoque non ad cunctos posteros transtulit haereditatem. Delectus factus est inter filios ejus legitimos. Quae adduntur verba *τοῦ πατρὸς ἡμῶν* videntur Isaacum opponere Ismaëli, qui alius gentis exstitit auctor. Prius exemplum minus appositum erat ad persuadendum Judaeis, quibus hoc ipsum placeret, Ismaëlem rejectum esse. Sed ne Judaeorum patris quidem soboles omnis accepit jura et promissa; et quidem ex liberrima Dei moderatione. *)

Vrs. 11, 12, 13. exponitur quod per contractionem enunciaverat Apostolus vrs. 10., et quidem ita ut clare prodeat cur hoc exemplo res melius et plenius illustretur, de qua quam maxime agit. Si accurate pendimus hanc pericopen, patet vrs. 12. rem primariam contineri quam definiat et illustret vrs. 11.; quamque dicto prophetico allato comprobet vrs. 13. Jam singula dispiciamus et exponamus.

De structura enunciati haec teneantur: Vrs. 1. genitivus absolutus subjecto caret. Saepe subjectum omitti ubi facile e contexta oratione appareat, e scriptoribus Graecis docet KÜHNER *ad* XENOPH. *Anab.* I, 2, 17. Enunciatum finale *ἵνα ἡ κατ' ἐκλ.—μένῃ* praemittitur verbo principali (*ἐρρήθη κ. τ. ἑ.*), ut majore vi ac gravitate prodeat. cf. XENOPH. *Cyrop.* I, 2, 15: *ἵνα δὲ σαφέστερον δηλωθῇ πᾶσα ἡ Περσῶν πολιτεία, μικρὸν ἐπάνειμι·* CAESAR, *de Bello Gall.* II. 27.

*) Miro permotus metu ne Rebeccae dedecori esset PAULI dictum, quod absurdum sit in tam casta conjuge peregrinam opem cogitare, cl. HAVERKAMP (in *Comm. ad* TERTULLIANI *Apolog.* c. XVI p. 170. ed. 1718) *ἐξ ἑνός* non ad Isaacum referendum censet, sed ad ipsum concubitum. Verum non debuerat formido haec puerilis virum cl. a vero abducere. Nam ut castitatem uxoris defendat non adjicit PAULUS *ἐξ ἑνός*; sed quod aliqua vis argumenti insit. HAVERKAMP opinatur ideo sterilem hactenus Rebeccam dici *uno coitu* gemellos concepisse ut omnis superfetatio excludatur. Immo ostendit PAULUS Esavum et Jacobum natos eodem patre, promissorum definito haerede, tamen usos esse, decernente Deo, fortuna dissimillima.

Prius membrum versûs 11. nihil difficultatis habet; tantum quod de particulis negantibus μή etc. non constat inter Explicatores. Causam cerno nullam cur rectius hîc scriptum sit μή quam οὔ, nisi fortasse hanc quod (e consuetudine PAUSANIAE et recentiorum scriptorum) noster *fortius negare* putaverit μή quam οὔ (v. HERMANN *ad Viger.* p. 803). Notum est in scriptis cadentis Graecitatis saepe exaratum esse μή, ubi antiquiores collocassent οὔ, imprimis in enunciatis participialibus; v. WINER p. 565. *)

Non ita facili opera explanantur verba ἵνα — καλοῦντος. Singulae fere voces indigent illustratione et vindicatione. Incipiam a conjunctione ἵνα. Incredibile dictu quot perversas interpretationes haec vocula sit passa, quum prout postulare viderentur Interpretum opiniones diversis significationibus donaretur: *eo consilio ut*, *eo effectu ut*, *si*, *quod*,

*) De particulis negantibus multa absurda dicta sunt; et l. n., ut ratio particulae μή explicaretur, aliena protulerunt. Discriminis summam rectissime ita complexus est GOD. HERMANNUS (l.l. p. 802), ut οὔ neget *rem ipsam*, μή *cogitationem rei*. In hanc fere sententiam TITTMANN (*Synon.* I, p. 99 sq.), WINER (p. 564), MEYER (p. 291) locum nostrum accipiunt. Hi enim ideo scriptum esse putant, ut negatio referatur ad ipsam Dei cogitationem, scilicet ita ut hoc incisum declaret quid cogitaverit Deus in edendo oraculo; cogitaverit igitur geminos tanquam nondum natos etc. Haud scio an admodum contorta sit haec interpretatio et ineptam sententiam pariat. Nam negari non potest rem *historicam* referri, quae vix recipiat notionem *cogitationis*; e. g. ineptum foret explicare: quia nondum nati erant etc., Deus hoc vel illud dixit vel simil. Utar exemplo. EURIP. *Medea*, 810 sq. (*ed.* PORSON) Medea dicit choro: οὐκ ἔστιν ἄλλως· σοὶ δὲ συγγνώμη λέγειν | τάδ' ἔστι, μὴ πάσχουσαν, ὡς ἐγώ, κακῶς. Male G. H. SCHAEFER in calce *ed. Pors.* notavit exspectari *οὐ πάσχουσαν*. Immo si hoc scriptum esset, haererem. *οὐ πάσχουσαν* est una notio: „sine doloribus"; *μὴ π.* declarat Medeae sententiam; causam continet quare tales voces edere liceat choro censeat Medea. — Porro non favet sententiae WINERI cett. structura vrs. 12. (ἐξῳρήθη αὐτῇ). Subjecto omisso vix praegressa possunt haberi pro cogitatione hujus subjecti. — De ratione Participii cum negatione μή cf. etiam THIERSCH, *Griech.* (*Homer.*) *Gr.* p. 538, 540. FRITZSCHII quoque distinctio quamvis subtilis commenticia videtur. — „Ita fert natura linguarum, ut, quarum particularum antiquiores majorem vim esse voluerunt, earum vis tempore procedente paulatim extenuetur et imminuatur" (E. DIETSCH, *Calil.* p. 4.)

fortasse pluribus. Meliora docuerunt WINER, LÜCKE, praesertim FRITZSCHE in *Excursu* I. ad *Evang. Matth.* p. 836 sqq. Demonstrarunt viri praeclari vocem ἵνα, ubicumque sit *conjunctio* (nam saepe est *adverbium*, quod non attenderunt antiquiores), constanter significare *eo consilio ut*, semper dici τελικῶς, numquam ἐκβατικῶς. Sic ἵνα nostro loco sententiam ducit *consilium* Dei continentem, quod secutus sit quum, geminis nondum in lucem editis etc., matri oraculum daret. Quoniam autem hoc oraculum fratrum sortem decernebat, consilium declaratur quod habuerit Deus in eorum sorte administranda. Ceterum apposite monent Interpretes praedicatum *logice*, ut dicunt, intelligendum esse, h. m.: ut *appareat* Dei κατ' ἐκλογὴν πρόθεσιν manere. Ut igitur consilium Dei, in Isaaco jam significatum, vi sua permanere ostenderet, PAULUS memoravit oraculum Rebeccae datum de ejus liberis. Absurde ad ipsam πρόθεσιν referretur μένῃ; vetat ipsa πρόθεσις. Fuerunt qui verba ἵνα sqq. pertinere opinarentur ad Jacobum et Esavum. Hoc autem nulla ratione ferri potest. Nam tempus praesens (μένῃ) *durationem*, *rem durantem* denotat; v. KRÜGER, II, p. 165; quando res absoluta peracta indicanda est, Aoristus flagitatur (μείνῃ). KRUGER, I, p. 89: *der Aorist bezeichnet eine concentrirte* (*momentane*) *Thatsache* *). Porro vix et ne vix quidem abesse posset articulus ante ἐκλογήν, utpote quae sit certa illa, de qua nunc maxime agatur electione. Omissus articulus notat rem generaliorem, quae ét in geminis conspicitur ét alibi; imprimis in adsciscendis sociis regni Messiae, quae summa disputationis est. Etiamsi haec grammatica non valerent, ipsa se condemnaret haec sententia: „ideo Deus sortem diversam fratribus portendit, ut consilium suum de iis" (etsi nemo dubitabat) „constaret vel constare appareret".

*) Recte explicuit discrimen horum temporum in modis subjectivis KÜHNER, *Ausf. Gramm.* II, p. 80. ita ut Aoristus usurpetur „*um überhaupt den Begriff des Momentanen einer Thätigkeit ohne alle Rücksicht auf das Zeitverhältniss zu bezeichnen*"; Praesens vero „*den Begriff der Dauer oder Ausdehnung der Thätigkeit in der Zeit ausdrückt*".

Nunc videndum est de sqq. qua ratione cum proximis sint connexa. Scilicet verba *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος* variis modis collocantur in structura logica enunciati. RÜCKERT censet haec verba unum praedicatum efficere una cum *μένῃ*; quia si *μένῃ* per se integrum esset praedicatum debuisset praecedere. Sed haec causa nihili est, quum saepe sic ponatur praedicatum, et recte. cf. Joh. XIII, 18. Act. XXIV, 4. Ipsa constructio RÜCKERTI ferri nequit. Nam in sententia *τελικῇ*, quam ducit *ἵνα*, inaudita est particula *οὔ*; desideratur *μή*. Male hoc excusavit RÜCKERT contendendo hoc aliis interpretationibus commune esse (*Magaz. s.* 33); quod mox apparebit. Deinde molitus est vir doctus structuram insolentissimam hanc: *μένειν ἔκ τινος*, *ex aliqua re suspensum esse*. Hoc nemo unquam dixerit. — Denique sententia prorsus pervertitur. Nam in verbo *μένειν* vis argumenti conspicitur. Animum induxerat PAULUS non irritum factum esse edictum Dei probare; quod, hoc oraculo (v. 12.) laudato, praecipue eluceat. Quare non abrogatam esse voluntatem Dei donandi promissis quos velit, sed etiamnunc *valere* et *manere* opportune monuit Apostolus. Hanc orationis vim interrumpit RÜCKERTI ratio (v. FRITZSCHE a. l.). — MEYER arcte quidem conjungit *οὐκ ἐξ ἔργων κ. τ. ἑ.* cum *μένῃ*, sed tamen utrumque per se stare posse et stare existimat. Itaque sententiae per se absolutae *ἵνα — μένῃ* addi verba *οὐκ ἐξ ἔργων* etc., quae causam reddant verbi *μένῃ*; non aliter ac si scriptum esset: *καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ἔργων κ. τ. ἑ.* Quamquam huic explicationi non repugnant leges grammatices, tamen rejicienda videtur. Inepte dicatur, perdurationem illam (*μένῃ*) non fieri dignitatis humanae virtute, quum nemo unus hoc imaginaturus sit; apte vero propositum Dei electionis non pendere e meritis hominum. Jejunius etiam repetitur (de sententia MEYERI) quod initio vrs. 11[i] dictum erat (*μηδὲ πραξάντων* etc.). REICHE, GLÖCKLER, Dr. W. MEYER, al., exegesin esse verba putant vocis *πρόθεσις*, cujus *causam movendem* complectantur. Quam opinionem redarguit defectio articuli. DE WETTE refert ad totam

sententiam, quod, nisi vel ad *πρόθεσιν* referatur cum maxime accessio, vel ad *ἐκλογήν*, vel ad *μένῃ*, sensu caret. Una vera interpretatio mihi visa est FRITZSCHII. Haec sumit verba, de quibus inquirimus, pertinere ad *κατ' ἐκλογήν*, cujus illustrandi causa sint addita. Per hyperbaton in fine sententiae collocavit scriptor, quae suo loco, proxime post *ἐκλογήν*, posita inconcinniorem reddidissent sermonem; nam longius esset intervallum inter articulum et substantivum. FRITZSCHE sic interpretatur: „ut *e delectu factum* beandi decretum Dei manere intelligeremus, *non*, inquam, *pulcre factorum admonitu*, *sed invitantis Dei impulsu factum*". Apparet sic primariam vim poni in *κατ' ἐκλογήν*, quod et positio hujus formulae flagitat, quamque summam argumentationis continere exemplo, cujus interpretandi causa praemittitur oraculo, certissime evincitur. Nimirum respiciens ad ea, quae dixit de decreto divino in fratres, jam infinite sententiam declarat; notiones quas exemplo contineri putabat, nunc vult complecti sententia generali. *Electionem* habes in exemplo: hinc dicitur *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις*. Electio inter geminos facta esse narratur *μήπω πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακόν*: hanc notionem tanquam delectus definitionem concipit h. m. in sententia generali: „non facta est illa electio operum vi, sed unius Dei impulsu". Sic admodum concinna est oratio, nihil habens obscuri vel contorti, quin auctorem arguens peritissimum. Quoniam dictionem *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις* explicavimus in Parte I. (v. p. 17 sqq., 20.), h. l. verbo tantum tangenda est memorabilis disjunctio, quam non inconsulte conformavit PAULUS, *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος*. Primum observandum est *τοῖς ἔργοις* opponi *Deum*, non *fidem*, vel aliquid tale. Quo nos docet Apostolus *τὰ ἔργα* sibi esse quae ab hominibus fiant. Tum etiam hoc dignum est quod attendatur, maluisse PAULUM *ἐκ τοῦ καλοῦντος* scribere, quam *ἐκ τοῦ θεοῦ*. Non satis habebat suspensam fecisse electionem e Deo; Deum vocans *τὸν καλοῦντα* significat Dei voluntatem liberam, qua adsciscat socios regni Messiae quos visum sit; quae igitur causa est

electionis *). Deinde admonemur voce καλεῖν, quaenam res scriptorem nostrum quam maxime occupaverit.

Nunc videndum est de oraculo divino Rebeccae dato. Opera haec nobis valde levata est ab Apostolo, qui ipse praemiserit quid dicto Dei efferre voluerit. Oraculum ex Alex. versione ad verbum exhibet textus: ὁ μείζων δουλευσει τῷ ἐλάσσονι. Codex Hebraeus habet צָעִיר יַעֲבֹד רָב (Gen. XXV, 23.). In contextu Genesis sermo est de populis, quorum patres sint futuri gemini. Fuerunt qui רַב et צָעִיר de ipsis fratribus dici opinarentur, imprimis GESENIUS. Verum nullo loco vox רַב de aetate usurpatur; צָעִיר omnino ét de fratre minore natu ét de populo minore dici potest. Certe constitui non posse videtur quid scriptor Genesis in animo habuerit. Utut est, locus a nemine laudatus fuisset, nisi PAULUS auctor fuisset liberam Dei salutis administrationem ut hîc conspiceremus. Sed e V. Foedere non explicandus est locus Paulinus. Constat scriptores N. F. liberius attulisse locos e V. T. quam hermeneuticae consentaneum est. Quod ut agnoscatur postulat veritas. Quamquam hoc non opprobrio est ss. SS. Enimvero laudi est unicuique aetatis suae esse filium; ac nemo postulet ut illius temporis viri explicasse videantur ex regulis disciplinae, quam serior demum aetas genuit et conformavit; nam grammatica et historica interpretatio prorsus incognita erat; contra, exspectari possunt in N. F. specimina interpretationis allegoricae, quae id temporis vigebat. Et vero apud PAULUM haec ubique deprehenditur. Cavendum igitur ne sententiam litteralem archetypi inconsiderate textui Paulino injungamus; sed hîc dispiciendum est quid scriptor noster secutus fuerit. (Cf. de hac re REICHE ad *Ep. ad Rom.* I, p. 145. LUTZ. *Bibl. Hermen.* p. 330 sqq. EDM. SCHERER, *Revue de Théol.* etc. *de* COLANI IX *Livr.* 2. SCHOLTEN in l. l. I, p. 240 sqq. *Teregtwijzing van* Mr. IS. DA COSTA (1857.) p. 17 sqq.) †).

*) MEYER: *Diese charakteristische Bezeichnung Gottes als ὁ καλῶν macht die völlige Abhängigkeit von ihm hinsichtlich des Gelangens zum Heil fühlbar.*

†) Fuerunt etiam qui inverterent rem et locis V. F. injungerent sententiam

Itaque videamus quid PAULUS significare voluerit. Continuo apparet de ipsis fratribus sermonem esse et longissime abesse populorum cogitationem. Primum enim parallela de Isaaco narratio postulat ut hoc ita sit. Deinde vrs. 11. ipsorum natales ac mores memorantur fratrum, quae nondum prodierint; ubi omissum subjectum arctius etiam connectit vrs. 11. cum vrs. 12. Tum etiam prorsus evertitur tota disputatio PAULI, si populos significatos opinamur. Erat enim hujus demonstrare Deum sibi eligere promissorum haeredes, et liberrimam esse hanc electionem, neque natalibus adstrictam neque virtute. Satis luculenter hoc esse consilium et argumentum oraculi ipse scriptor dixit vrs. 11.: *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθ. κ. τ. ἑ.* Jam ipsum contrarium probatur, ubi *μείζων* et *ἐλάσσων* de populis dici opinatus PAULO attribuas sententiam, Deum omnes Jacobi posteros elegisse, rejecisse Edomitas cunctos; dixerit scriptor quod quam maxime repellit ipse, et fictitium fit illud *μένειν* divinae electionis. Praeterea debuissent omnes Judaei adduci ad Christum, si populi intelligendi essent. Ne dicamus de oratione manca, quae populos significatura horum immemor sit quos vel maxime opus esset memorari, hîc praecidimus, quoniam cetera expediet sequens expositio. Satis autem dictis evincitur tota praegressa disputatione prorsus repelli commentum futile, quod metu Fatalismi arripuerunt Theologi. *).

quam haud dubie prae se ferebant citationes N. F. Inter hos erant plerique antiquiores Theologi. Nominatim in hac re, de qua cum maxime agimus, nugatus est JO. MARCKIUS in *Exercitt.* Etenim e locis V. F. quos laudavit PAULUS puram putam evinxit doctrinam praedestinationis. Quamquam historia vetus minime depingit Esavum ut prae Jacobo improbissimum, immo multa honesta quamvis rudia conspicienda sunt in Esavi imagine (v. WINER, *Bibl. Realw.* (ed. 3) I, p. 345.), tamen, ut Esavum reprobatum esse monstret, MARCKIUS ad ravim usque nugatur de ejus nomine, de piloso corpore et rubicundo; et universe multus est in ejus ét animo ét corpore fastidiundo et diffamando. Et M. BAUMGARTEN *Theol. Comm. zum Pentat.* I, p. 250., quamquam sobrius, PAULI potius interpretationem secutus est, quam simplicem textum Hebraeum.

*) BECK l. l. p. 43. scripsit: „*Genau genug sind von Paulus die Perso-*

De significatione verbi δουλεύσει operae non est pretium dilatare sermonem. Praetermittimus multorum opiniones nugatorias de historia, quae non doceat Esavum serviisse Jacobo. Servitus a contexta oratione remota est. Vis et argumentum inest in vocibus ὁ μείζων et ἐλάσσων, minime in δουλεύω, quod minoris momenti est in disputatione Paulina. Tunc Apostoli sententiam referemus, si tenemus rem plane inversam esse et fratrum sortem administratam contra consuetudinem moresque. Ferebat enim jus primogeniturae ut minor frater majori quodammodo pareret tanquam familiae capiti. Pater etiam filio primogenito vota nuncupare solebat et benedicere. At Deus vaticinatur *minorem* praelatum iri *majori*. Illi contingent omnia jura, quorum summa PAULO est haereditas promissorum. Jacobus beatae stirpis factus est auctor, Esavus, ut antea Ismaël, exclusus.

Unius Dei esse decretum eligendi Jacobum et repellendi Esavum e singulis vocibus apparuit. Ut demonstret se recte hanc divinae moderationis libertatem pressisse, laudat Apostolus dictum Malachiae, quod reddat rationem memoratae electionis. Paululum mutato ordine textum Alexandrinum exhibet. Propheta populo Israëlitico de amore divino dubitanti persuasurus dixit I, vrs. 2, 3.: *οὐκ ἀδελφὸς ἦν Ἡσαῦ τοῦ Ἰακὼβ, λέγει κύριος, καὶ ἠγάπησα τὸν Ἰακὼβ, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα;* cui documento etiam est Idumaeae vastitas. Utrum recte LXX tempus Hebraeum reddiderint per Aoristum ἠγάπησα et ἐμίσησα, nunc non quaerimus. PAULUS certe hunc Aoristum in usum suum convertit. Manifeste hunc amorem etc. re-

nen bestimmt, in deren Verhältnisse er den Ausspruch überträgt, und nahe genug liegt die Geschichte, bei der das δουλεύειν sich verwirklichte, wenn es in Bezug auf das Erstgeburtsrecht aufgefasst wird, das eben die ἐκλογή in sich aufnahm. Dennoch müssen eher David und Hyrcanus, Idumäer und Makkabäer, Schlachten, Triumphe und Ketten im Kopfe des Apostels sich zusammenfinden, als jene einfache, an den Name Rebekka so enge sich knüpfende Geschichte; der Jüngere ward der Erstgeborne, der Aeltere verlor sein Herrenrecht, jener κύριος, dieser δοῦλος: ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια Ebr. XII, 16".

fert Apostolus ad tempus ante Jacobi et Esavi natales (*μήπω γεννηθέντων*). — Postquam vrs. 11. omnes causas explicandi delectum in geminis ipsis sustulit et indicavit unam Dei voluntatem hîc conspici, nunc (vrs. 13.) Deum facit loquentem per Prophetam et declarantem discrimen inter fratres factum esse quod amasset Jacobum, odio habuisset Esavum ante eorum natales.

Haec sententia tam severa, tam atrox videtur, atque ita funditus evertere Theologorum notiones de Deo, ut nemini mirum sit multos in mitiorem partem locum interpretari. At mirari licet quantopere, quod miserandum sit, laborarint. Memoranda est h. l. opinio, qua sumitur verba *ἀγαπᾶν* et *μισεῖν* significare *vehementius* et *minus amare*. Quam opinionem praeter GROTIUM, KOPPIUM, NÖSSELTUM defenderunt THOLUCK, BECK, BRETSCHNEIDER (in *Lex.* s. vv. adhibito fictitio *μειώσεως* tropo); contra eam statuunt RÜCK., OLSH., DE WETTE, GLÖCKLER, MEYER, FRITZSCHE, dr. W. MEYER, al. Afferuntur aliquot loci ubi idem locum habere videatur; diligenter et elegantissime singulos excussit RÜCKERT (*Magazin* l.l. p. 27 sq.) et suo jure effecit nullo loco Hebr. Codicis אָהַב et שָׂנֵא aliud esse quam *amare* et *odisse*, neque *μισεῖν* usquam propria vi destitutum inveniri. Dignissima quae legatur viri acuti est disputatio. Tum vere dixit FRITZSCHE (II, p. 304) tales locos (ut Gen. XXIX, 31. cl. 30. Deuter XXI, 15. sq. Luc. XIV. 26. Joh. XII, 25. et similes), quibus illius opinionis propugnatores maxime fisi sunt, eum non moraturos, qui homines orientales pro majore sua animi concitatione ibi *rei amorem* aut *odium* et sentire et enuntiare, ubi nos, qui simus in occidentalibus plagis natura minus irritabiles, nihil nisi *rei studium* aut *neglectionem* et *incuriam* sentimus et eloquimur, meminerit. Itaque exstinguere occidentalium hominum frigore orientalium hominum ardorem vehementiamque in sentiendo loquendoque qui ejusmodi in locis *ἀγαπᾶν vehementius amare*, et *μισεῖν minus amare* explicent. Accedit quod loci ratio *amorem* et *odium* postulat. Etenim divino oraculo defendit Apo-

stolus suam facti delectus considerationem: e nulla causa praeter Dei voluntatem manasse discrimen. Rerum adjuncta quae memorarat vrs. 11. indicabant satis Deum praetulisse Jacobum Esavo, et quidem quum nihil admisissent fratres cur praeferri aut postponi merito deberent. Ineptum erat idem languidius repetere. Immo recte dixit OLSHAUSEN de industria locum fortissimum excitasse PAULUM. Exceperat causam qualemcumque in geminis, quum interpretatus erat factum sua sponte. Nunc auctoritate ipsius Dei confirmat se recte interpretatum esse. Apostolo nihil deest argumentationi; aliis fortasse dubitatio utrum Malachiae dictum Dei sit; etiam de explicatione loci Prophetae possit aliquis cum Apostolo ligitare.

Sed nihil proficiunt, qui hanc sententiam commenti sunt. Nam perquam *minus amaverit* Deus Esavum, quem tantis beneficiis excludat; eo magis hoc apparet, quo pluris fecisse scimus Apostolum dona theocratica (v. vrs. 3—5.). Et sic res eodem redit, etiamsi NÖSSELTUM secutus (quod nemo fecerit) μισεῖν reddideris: *parcum quodammodo esse in conferendis beneficiis.* Scilicet verebantur Theologi ne, odio adscripto summo Numini, rerum divinarum notio lacderetur qualem conceperant; tum etiam ne amasse aut odisse videretur Deus quos neque bona malave indoles neque mores amore aut odio dignos reddidisset. Idcirco comminiscebantur illud *minus amare.* Atqui, ut Esavum minus amaret, quî factum est? Merito ei non accidit. Remanet arbitrii notio non minus quam si candide ac libere quid dixerit PAULUS audemus profiteri. Si quem offendat indigna Dei adumbratio, per me licet; dumne abducamur ad opinionem, tales ratiunculas aliquid valere in disciplina Explicatorum. Hunc autem commonitum velim solitos fuisse antiquos, etiam V. T. scriptores, humanas corporis animique affectiones transferre in Deos vel Deum; certe Hebraeorum יהוה plura refert lineamenta humana. Judaeis igitur Deo non indignum videri odium et amorem, qui in theocratia summum erga se amorem cernerent; putarent vero Deum odio habere

ceteras gentes. Itaque tenemus verborum nativam significationem et unam veram. *)

Postquam orationis perpetuitatem narravimus, considerandae sunt sententiae quaedam diversae de pericope exposita. Nullam harum verbis scriptoris dari, sed omnino metum aliquem praeposterum orthodoxiae Paulinae aut studium conciliandi ipsius Apostoli secum, ut opinor, apparebit eas peperisse.

Fuerunt qui de singulis hominibus hunc locum non agere putarent, sed de nationibus, quarum auctores essent futuri. Supra jam refutavimus hanc opinionem. Hîc tantum monemus, quam nihil apposita sit ad totius disputationis argumentum. De populis adductis ad Christum vel non adductis sermo nullus. Multi Judaei fidem habuerant Messiae, ipse Romanorum coetus magnam partem constabat Judaeis. Agit PAULUS de discrimine facto inter Judaeos, qui plerique Messiam non agnoscerent. Constituto decreto hoc ita evenire docet, quum semper delectu facto promissa dedisset Deus, non universis populis. Quo mihi hîc sermonem de massis aut gentibus? Quippe ad prorsus evertendam propositionem scriptoris. Utinam denique emortua sit haec opinio, quae, nulla omnino littera suadente, refragantibus omnibus, illud arcte tenet, loqui Apostolum h. l. de ordine, quo populi ad Christi cognitionem sint invitandi. Etsi, defenditur etiamnunc in nostra patria.

Alii se expedire conati sunt ex periculo Fatalismi tenendo nequaquam sermonem esse ll. cc. V. T. de aeterna beatitate et miseria, sed de externis u. d. beneficiis. Videamus quo jure hoc statuatur, tum quid inde ad Apostoli sententiam redeat *).

*) Non recte SCHOLTENUS noster in oratione de his verbis (*De tijdelijke uitsluiting van den zegen der vare Godsdienst*, in: *Leerredenen enz. Arnhem*, v. D. WIEL ad ann. 1856 p. 4.) scripsit: *haten beteekent in de menschvormig oostersche taal van Paulus niet voor goed en voor eeuwig uitsluiten, maar tijdelijk voorbijgaan.* Neque hoc neque illud significat μισεῖν. Possunt illa esse effectus odii; contexta oratio luculenter probat loco Malachiae non tam *quid* factum sit exhiberi, quam *quare* s. temporaria illa exclusio facta sit s. aeterna edicto divino declarari.

*) Acriter olim de hac re litigarunt Theologi. JO. MARCKIUS, celeberri-

Nemo certe nostra aetate contendat scriptorem Genesis aut vaticiniorum, unde sumsit PAULUS locos, de praedestinatione egisse. Neque refert nostra, utrum (quod inscienter agitavit v. AMMON) sors Esavi posthabiti Jacobo ex aliis rationibus suspensa fuerit quam ex odio divino. Quaerendum est quid PAULUS eloqui voluerit; et ideo quid Apostolo valuerint promissa, quorum Jacobus factus sit haeres. Cl. SCHOLTEN in l. l. II, p. 90. scripsit: *„Dat Paulus wanneer hij het goddelijk raadsbesluit ten aanzien van Ismaël en Esau vermeldt, alleen aan nationale zegeningen gedacht heeft, is in zoover waar, als de nationale zegeningen in de theokratie tevens met den zegen der ware godsdienst gepaard gingen"*. Citius dixerim *non* verum esse, cum ipse v. cl. recte de religione etiam sermonem esse viderit. PAULI sententiam optime assecutus esse mihi videtur CALVINUS, quum SCHOLTENI aliorumque sententiae parum teneant non tam de populis, quam de ipsis fratribus valere Dei decretum. Jam audiamus CALVINUM, admirabilem virum, cujus mens Paulinae haud dissimilis erat *). Ad vrs. 12. notavit: „Tametsi istud

mus quondam Professor Leidensis, putabat „PAULUM proponere Jacobum — omnino etiam in propria persona sua — in electionis non qualiscumque externae et temporalis, sed verae, salutaris et aeternae, non typum emblematicum et umbraticum, sed verissimum exemplum, uti ab altera parte Hesavum dare pro exemplo opposito reprobationis" (*Exercitt.* IV, p. 260. (1709)). Non opus est monito Dogmaticen fuisse viri cl. primariam Hermeneutices regulam. Contra MARCKIUM surrexit etiam SAL. DEYLING, decretorum Lutheranorum acerrimus vindex. Scripsit disputationem *de odio Dei adversus Esavum* (in *Observv. SS. Part. IV. p.* 684 *sqq.*), cujus praecipua vis et efficacitas est in conviciis jactandis, in horroribus depingendis; immanitatibus „doctrinae decantatissimae milliesque confutatae", „cui tamen mordicus adhaereant Reformati" reformidandis; hisce maxime rationibus nisus complectitur PAULUM nihil cogitasse nisi res externas, beneficia terrena. Tota commentatione nihil probavit DEYLING praeter hoc, se nihil de disputatione percepisse. Lutheranorum putidas molitiones cognoscere cupienti exhibet WOLFIUS, *Cur.* a. l.

*) In quem convenit quod de WYTTENBACHIO scripsit cl. PH. W. V. HEUSDE, si pro PLATONE substitueris PAULUM; „WYTTENBACHIUS", inquit, „eo facilius efficaciusque Platonis et scripta et philosophiam tractavit et explicuit quo magis esset ipse cum divino philosopho sensibus ingenioque cognatus" (*Epist. ad* CREUZERUM p. 27.).

ad jus primogeniturae spectabat: in ea tamen ipsa, velut majoris rei typo, declarata fuit Dei voluntas". ad vrs. 13.: „Quamquam illic (apud Malachiam) etiam commemorantur benedictiones terrenae, quas Israëlitis contulerat Deus: non tamen aliter accipere convenit, quam illius benevolentiae symbola. Caeterum ubi est ira Dei, illic mors sequitur: ubi dilectio, illic vita." Egregie dictum videtur hoc, quod legitur in *Instit.* III, 22, 6.: „Sed videbat (PAULUS), voluisse Deum spiritualem Jacobo electionem, quae apud inaccessum ejus tribunal alioqui latebat, terreno symbolo declarare. Nisi enim concessam illi primogenituram ad futurum saeculum referimus, inanis fuerit et ridicula benedictionis species, ex qua nihil ei accesserit praeter multiplices aerumnas, incommoda, triste exilium, multasque tristitiae et curarum acerbitates." Praeterea contendas nonne de sententia PAULI etiam haec scripserit CALVINUS: „Tenendum etiam illud memoria, terrae Canaan annexum fuisse coelestis domicilii pignus; ut dubitari minime debeat, Jacob cum angelis insitum fuisse in Christi corpus, ut ejusdem vitae socius esset" (l.l. *Instit.*). vid. OLSHAUSEN et THOLUCK a. l. Multi recentiorum, locos N. F., ubi laudantur dicta V. F., explicantes, non tam quid scriptores Apostolici locos complecti putaverint spectarunt, quam quod disciplina grammatica et historica nos docet. Etsi tu totam theocratiam fabulam fictam et commentitiam existimes: tamen in interpretando PAULO *hujus* sententia de rebus V. T. tenenda est. Tune vero opineris PAULO fuisse res externas nihilque pertinentes ad aeternitatem, quas enumeravit hujus capitis vrss. 3.—5.? At non credimus; nam rerum hujus terrae non tantus amor solet esse quantus in PAULO hîc conspicuus esset nisi quibus illae sint omnium summa. Itaque contra persuasionem Apostoli videntur statuere qui promissa Messiana et quaecumque praeterea contigerint Jacobo prae Esavo jura et ornamenta, beneficiis quibusdam externis vel humanis contineri opinentur.

Verum etiamsi haec non ita essent, tamen nihili est haec opinio, quippe quam repellat argumentum et ratio disputationis

Paulinae. Aliqui ex hac opinione complexi sunt PAULUM Dei libertatem vindicare e gentibus etiam recipiendi in ecclesiam Christi *credentes*, excludendi qui non fidem habeant, etiam Judaeos. Hanc sententiam infra cognoscemus. Alii autem hanc propositionem esse Apostoli, ut ostendat „Deum in liberalitate sua erga aliquem populum singulari non res eorum externas spectare, sed plane arbitratu suo liberrimeque agere" (NÖSSELT). Quod quî hîc conveniat nemo unquam explicuerit. Hac interpretatione recepta non solum facimus Apostolum nihil dicentem, verum etiam absurda et inepta loquentem. Aptissimum videtur narrare ratiocinationem PAULI, quo redarguantur istiusmodi commenta. Satis constat rem primariam disputationis Apostoli esse, quod tam multi Judaeorum fidem non haberent Messiae. Si hoc tenemus, jam repulsa est NÖSSELTI aliorumque sententia, quae infert aliena. Ut declaret hanc rem, meminit etiam Jacobi et Esavi scriptor. Quo consilio? nimirum ut doceat cum delectu agere Deum seque id acturum edixisse; tum praecipue, qua ratione eligat. Quod aut quale beneficium dederit Jacobo PAULI nunc non intererat. Et ipsa res hoc suadet existimare et tota oratio probat. Nam in ratione electionis multus exponenda, vix significat quid Jacobo delecto donatum sit. Ne dicam eum prorsus non enuntiasse illud; δουλεύσει enim forte fortuna hîc positum est, et in contextu Paulini argumenti nihil dicit (v. supra p. 155). Premitur tantum electio unius prae altero. Et in dicto Prophetico res non memoratur ad quam electus esset Jacob; dum probent τὴν ἐκλογήν esse ἐκ τοῦ καλοῦντος, οὐκ ἐξ ἔργων, satis probarunt PAULO verba Malachiae; voces *amor* et *odium* summam faciunt argumenti. Itaque noster hoc oraculo, quo constituit Deus praeter consuetudinem et opinionem ex solo suo arbitratu ex Isaaci filiis facere delectum, ita ut Jacobus divinorum bonorum fieret haeres, Esavus iisdem destitueretur; hoc oraculo illustrat et probat sententiam, totius disputationis primariam, Deum in vocando ad Evangelium cum delectu agere; quemadmodum in distributione promis-

sionum Messianarum cum delectu egerit, ita non omnes Judaeos promiscue vocari ad Christum, sed *delectos*. cf. SCHOLTEN in oratione l. p. 2. sqq. Apposite monet FRITZSCHE (II, p. 308.) PAULUM Gen. XXV, 23. allegoricam interpretationem ingressum credidisse Deum Esavo servitute denunciata, dominatu Jacobo indicto simul ampliorem rem tanquam per transennam hominibus significasse, h. e. se arbitratu suo homines qui per Christum certissime bearentur delegisse; neque aliter PAULUM interpretatum esse Gen. XXI, 12. Jure igitur REICHIUS respondit THOLUCKIO, nihil referre qualia beneficia in exemplo sint proposita, quum nihilo secius illustretur summa res: *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ*. cf. REICHE l. l. II, p. 288 sq. Haec sufficiunt contra istos qui usque garriunt externa beneficia ac res terrestres.

Plures autem hoc proponere PAULUM putant, quod verbis J. A. TURRETTINI tradere juvat: „Quodsi vero Deus sic egerit cum filiis Isaaci eorumque posteris, quidni potuit alio tempore Gentes omnes ad Evangelium vocare, et fideles ex gentibus in Ecclesiam foedusque suum recipere, dum tamen Judaei increduli excluduntur? Quis Dei libertatem damnet, vel de eo conqueratur?" Nescio quo pacto tam confidenter ausi sint quidam hanc loci explicationem commendare, cujus fundamenta non sunt PAULI verba, ne unum quidem. Neque commentorum talium Theologorum memor essem, nisi hodieque multi, plane non perspecta oratione Paulina, ista opinione tolli difficultates crederent, omnesque notiones reformidatas feliciter removeri, dum teneas de Judaeis et Ethnicis sermonem esse. At spe falluntur illi specie decepti. Tota haec interpretatio quam alienissima est et evidentissime verbis scriptoris vel mediocriter intellectis confutatur. Primum attendamus, fundamentum ejus et initium esse opinionem de *populis* agere Apostolum, quod admitti non posse supra evicimus. Deinde notandum PAULUM dolore affici (vrs. 2.) quod multi Judaeorum regno Messiano exclusi essent, minime vero de Gentium aditu loqui instituisse. Porro tota disputatio

evertitur recepta notione *fidei*. Cum autem illi quasi praetereuntes hanc notionem recipiunt Judaeorum et Gentium disjunctionem summam rei existimantes, DÄHNE acuit *fidem* et putat de hac una disseri; Deo esse jus proponendi conditiones salutis; delegisse fidem: jure igitur reprobare qui non respondeant illi, etiam Judaeos qui, quo erant fastu, etsi fidem habere nollent, regni Messiani societatem merito sibi postularent. Hanc sententiam satis contorte exposuit DÄHNE in l. l. § VI, 4. X, 3. (cf. quae scripsi p. 29 sqq.). Diceret forte aliquid DÄHNE, si PAULUS contra Judaeos dissereret; etsi ne tum quidem recte disputasset: nam Judaei non postulabant societatem Christi sine fide, immo simpliciter eum rejiciebant, Messiam esse negantes, nec multum curantes quem spernebant. Certaverit igitur Apostolus contra umbram. Verum ad quos scribit quorumque errores convicturus est, sunt Christiani, qui credunt neque igitur despiciebant fidei conditionem. Istam opinionem nihil habere quo nitatur praeter auctoris anteceptam animi informationem, opinione praecipere possumus; id quod h. l. clare apparet. Monstravimus PAULUM hoc spectare ut doceat promissionum haereditatem non concedi vi propagationis ex Abrahamo, neque propter qualecumque meritum, sed una divina voluntate ac arbitratu haeredes constitutos esse. Egregie hoc exemplis se demonstrasse existimat PAULUS. Contendas autem talem disputationem: Libere administranda sorte Jacobi et Esavi probavit Deus beneficia sua neque natalibus adjuncta esse neque operibus, sed ex uno se pendere. *Ergo* potest etiam *credentes* beare." Crederes *) jam hinc consequi, *Deum nunc quoque quos velit beare*; at vero illi complectuntur *beari qui*

*) Nimirum aliud est Deum hominum operibus, quibus utique carerent omnes, non teneri neque quominus fidem statueret conditionem vitae beatae: aliud Deum diversam sortem fratribus assignasse, ut appareret se cum delectu agere et promissa sua distribuere arbitratu suo. Absurdum est hinc petere Deum posse libere ponere conditiones; immo hoc dicitur, Deum *nullas* conditiones ponere, sed liberam, absolutam voluntatem suam sequi.

velint ipsi. Clare hoc dixit HOEKSTRA (qui varias sententias tam mire permiscuit ut singulis paginis singulas videatur amplecti) l. l. p. 339: „*altijd alleen de, maar ook alle gelooviger, en in dezen zin is het ontvangen der genade afhankelijk gesteld van ons zelve. Immers geloof is eene zedelijke daad, niet gelooven is zonde en onwil.*" Ponunt illi Dogmatici et defendunt sententias quamvis obloquente Apostolo *). Vid. sequentia vrs. 14.: οὐ τοῦ θέλοντος, et tamen *a tua voluntate* pendeat secundum istam admonitionem cl. HOEKSTRA. — Sic *tota* disputatio atrociter vexatur, ut apparebit deinde. Ne uni quidem versui parcitur. Extremae istorum licentiae et audaciae specimini sit interpretatio vrs. 22., 23., quam hîc notamus ob convenientiam sententiae cum n. l. Videlicet de vocibus σκεῦος ἐλέους et σκεῦος ὀργῆς haec scripsit DÄHNE in l. l. § XIV, 4. (p. 170.): „*Allerdings sind die einzelnen Menschen im Voraus bestimmt und bereitet zur Seligkeit und zum Verderben, aber nicht sowohl durch den schöpferischen Act als durch die bestimmte und freie Aufstellung der Bedingung aller Seligkeit von Seiten Gottes*". Dolenda profecto nostra disciplina est quae ejusmodi commenta nondum ejecerit; et etiamnunc conniveat in tali hermeneutica, quae (quasi ejus praecipue sit, ne quid docuisse videatur Apostolus quod nostrae aetatis sapientiae displiceat) specie reverentiae adversus eximium Apostolum fieri patiatur quod ejus auctoritatem imminuat, reverentiam ejusdem evertat et a veritate, quam maxime desideramus, detineat nos. Gaudemus vero quod Exegetices principes rectius, non quid jejunum, stolidum, falsum videatur philosophis, verum quid scripserit et dixerit scriptor unice curant.

*) „*Zulk eene voorwaardelijke praedestinatie onder beding van het geloof, als Tholuck hier meent te vinden, leert Paulus nergens. — Paulus leert niet, dat God Joden en Heidenen barmhartig zijn zal, wanneer zij gelooven, maar omgekeerd, dat God zijne barmhartigheid daarin bewijzen zal, dat hij allen tot het geloof brengt. Het geloof is niet de voorwaarde, maar het kenmerk der verkiezing*"; haec praeclare scripsit noster SCHOLTEN in l. l. II, p. 97.

Praeter has rationes notamus hoc, in oratione PAULI ne memorari quidem quam rem ejus summam opinantur illi. Si de servandis credentibus vel de fide quam delegerit Deus ut per eam bearentur homines, si de tali re sermo esset, opera opposuisset fidei, ut semper fecit ubi de δικαιοσύνη per fidem agebat. Nunc autem agit de electione et vocatione, quae antecedit fidem et δικαίωσιν; ideo non tantum opera legis excludit noster; sed quodcunque ab homine sit negat valere; solam divinam misericordiam et gratiam, quam ostendat Deus *vocatione*, opponit Apostolus operae humanae (ἐκ τοῦ καλοῦντος). Levissima adeo *fidei* significatio diligenter devitata est; nullaque vox suadet ut eam recipiamus. — Vix sibi persuadere quis possit nostra aetate, quam ducant WINERI, FRITZSCHII, MEYERI, sanum Interpretem aliquem persuasum sibi habuisse, quod ne verbo quidem aut elemento significatum sit, id lectores voluisse docere Apostolum.

Pauca nobis dicenda sunt de explicatione v. HENGELI, quam adumbravit vir cl. in *Godgel. Bijdr.* l. l. p. 28 sq. *). Argumentum vrs. 6.—13. sic declarat auctor: „*hetgeen wij vrs. 6—13 lezen, toont, dat God overeenkomstig zijne beloften handelde, door het kleinste deel der Joden tot de belijdenis van het Evangelie te brengen*". Nisi fallor, hoc posito et concesso perveniendum est ad eandem sententiam quam nos amplexi sumus. Sic enim dicitur Deus adducere ad Evangelium, non ipsi se homines. Quum autem longe plerisque Judaeorum Evangelium denuntiatum sit, videtur aliquid concessum nonnullis quo factum sit ut crederent, quod aliis non contigit. Nonne sic Deus videtur causa esse quod paucitas Judaeorum haberet fidem Christo, plures non haberent? Ut speciosum hoc sit, tamen eam sententiam repudiat v. HENGEL; quod apparet cum ex aliis dictis, tum ex iis quae proxime sequuntur. Hîc autem reperimus varias opiniones, quas repellendas esse arbitramur. E. g. contendit v. HENGEL τὴν κατ' ἐκλογὴν πρόθεσιν

*) *Interpretatio* hujus Epistolae partis nondum prodiit cum haec scribebam.

spectare tantum *res externas*, contra quam sententiam dicunt omnia. Tum nescio qua ratione vir cl. putaverit contrariam explicationem refutari hisce: *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος*; mihi videntur illam confirmare, ut multis visa sunt. Porro non perspicimus quî haec scribere potuerit v. cl. „*En hoe men vrs.* 13 *ook aan vrs.* 12 *verbinden wil, de vergelijking van* MAL. I: 2, 3 *maakt het ontwijfelbaar, dat men hier aan eene liefde en een' haat denken moet, welke God niet voor den tijd, maar in den tijd gehad heeft, en waaruit zou die anders dan uit het onderscheiden bestaon van Jacob en Ezau zijn voortgesproten?*" l. l. p. 28 sq. Concisius haec dicta sunt quam ut rationes viri cl. pendere possimus; ut nunc illa sunt comparata, mihi videntur cum V. F. locos in alienam sententiam trahere, tum maxime verba Apostoli et orationis tenorem evertere et consilio scribendi refragari (v. supra). Unum argumentum quod praebet v. HENGEL suae opinionis saepius jam repulimus; scilicet quod Apostolus videretur sibi non constare aliis locis: XI, 11, 20, 23. cett. cfr. etiam quod mox dicemus de ratione vrs. 14. Satis apparuit nullam rationem interpretandi Apostoli in mitiorem partem valere; omnes repelli dictis minime dubiis; unum omnium fundamentum esse odium praedestinationis pium, metumve ne PAULUS a se ipse deficiens videretur parum subtilis disputator aut sollers. Praeter hoc nullam rationem aut argumentum apud cunctos Interpretes invenire potui. Sed fuerunt, quos postremos memoramus, qui l. n. ita intelligi vellent, ut operam humanam prorsus negarent ad electionem aliquid contulisse, existimarent autem decretorum divinorum principium agens q. d. esse opera praevisa vel praevisam fidem. Quamquam antea uberius de hac re disputavimus, tamen juvat hîc quoque monstrare quod significavimus p. 123. „nullo loco vel levissime hanc doctrinam esse significatam" et „plurimis locis ita loqui Apostolum, ut plane repellatur illa". Nullo verbo placitum illud praescientiae hîc enuntiari non opus est monere. Qui ejus causam agunt ipsi *oblique* argumentati sunt. Horum princeps est GLÖCKLERUS, Inter-

pres ceterum acutus et elegans, qui suam opinionem defendit loco narrato a nobis Rom. VIII, 29.; tum etiam opinando majestatem Dei et excelsitatem conculcari, non admissa praescientia. *). Sententiam autem Deum in beatitate decernenda hominibus hoc sequutum esse ut eam decreverit iis quos fidem habituros Christo praevidisset, miseriam vero iis qui Christi salutem rejecturi essent plane hac Apostoli disputatione repelli ét consilium h. loci efficit, ét conformatio disputationis, ét disertissima loci verba ac sententiae.

Consilium fuisse PAULO ut consolaretur Christianos imprimis stirpis Judaicae de fato multorum Israëlitarum, qui Christi salute destituti essent, supra indicavimus; cui consilio omnia hactenus bene responderunt. Explicat autem Apostolus sic placere Deo; semper cum delectu egisse; et cum delectu salutem Christi distributurum esse jam pridem praesignificasse. Jam consideres argumentationem, admissa *praescientiae* notione. Vidimus illam, si sibi constat, homines fingere causas decretorum Dei; dixerit igitur PAULUS ideo Deum singulis singula fata praestituisse, quia praevideret dignos futuros vel indignos. Sic autem omne solatium corruit; et praeterea res eo adducta est, quo unicuique Christiano de causis cogitanti multorum exclusionis videtur. Omnes enim eorum infelicitatem ipsorum culpae attributuri sint pro pietate sua. At vero cur tam gra-

*) Contendas hujusmodi ratiunculas: (nisi praescientia valeret liberae actionis hominum) *„so wäre Gott nichts Anders, als ein grosser Mechanikus, der eine ungeheure Maschine mit unendlich vielen Getrieben zu stande gebracht hätte und nun gehen liesse..... sein Zorn über die Schlechtigkeit und Bosheit in der Welt und seine Bestrafung derselben wäre nur der Zorn eines Thoren über seine eigene Thorheit und das Spiel eines Kindischen der die Dinge bestraft, an welchen er sich gestossen hat"* (?) (l. l. p. 194). Fortasse haec cuipiam placeant ipsa per se spectata. Aliis displiceant, qui eodem jure et cum non minore persuasione contrarium probent qua est patientia quam vocant philosophia. Verum ne Interpres curet quae probabiliter disputentur vel minus, vetat disciplinae historicae indoles. Etsi, quemadmodum aliquando in quam sententiam explicaturus esset hujus illiusve Ecclesiae socius, praecipere potueris, etiamnunc, *confessionum* imminuta auctoritate (apud doctiores), valet praeter disciplinam alia qualiscumque auctoritas.

viter, tam ponderose, tam copiose de hac re disputaret, de qua inter omnes conveniret, nullo modo perspicitur. Videretur Apostolus et ineptus et loquax.

Sed non est ineptus neque loquax noster. Nam ista opinio nequaquam quadrat ad *disputationis* PAULI *conformationem*. Nonne tunc hujusmodi orationem exspectaveris? „Vellem ego extrema mea miseria corrigere fortunam meorum fratrum, si modo possem. At non possum. Obstat eorum obstinatio et pervicacia qua salutem oblatam et commendatam repudiare pergunt". Ubi vero levissimum adeo vestigium talis argumenti vides? Quid faciat etiam h. l. decretorum et oraculorum Dei mentio, quum nihil aliud agatur nisi legis moralis vis et auctoritas. Sed praecipue hîc valet vrs. 14 sqq. „Si electio foret ex praevisa fide vel bonis operibus, ab uno prae altero praestandis, non posset hic homo injustitiae speciem Deo affigere. Et si quis tamen hanc objectionem moveret, nihil expeditius fuisset Apostolo quam docere rationes decreti hujus divini justissimas unicuique in promtu esse, siquidem nonnullos Deus eligit ob fidem et bona opera sua, alios reprobat propter incredulitatem et peccata sua. Sed nunc injustitiae speciem homo corruptus et superbus [?] in eo sibi fingit, quod Deus eligat nonnullos prae aliis non pejoribus; ad quam calumniam diluendam Apostolus non provocat ad diversam hominis ipsius conditionem vel meritum, sed acquiescendum reverenter monet in supremo Dei beneplacito, fibula injecta nostrae curiositati et audaciae, ex consideratione Dei, ut supremi et liberrimi Domini; vrs. 15., 18.—21." (B. DE MOOR l. l. II, p. 24.). Hoc valet etiam contra V. HENGELI explicationem (v. p. 165 sq.). Quî enim potest objici injustitia Deo, qui amat bonum, malum odit? Quidni hoc respondisset Apostolus? Sed ipsum hoc negat PAULUS. — Hanc interpretationis evidentiam jam perspexit AUGUSTINUS (*Ench. ad Laur.* c. 98.), mirumque est adeo non conjunctionem vrs. 14. cum praecc. curasse Interpretes.

Praeterea dictam opinionem redarguunt varia effata Apo-

stoli, quae postremo memoramus. Jam continuo attendas quorsum haec posita sint: μήπω γεννηθέντων (vrs. 11.), si Jacobus electus sit ob futuras suas virtutes. Inconsiderate hîc dictum putant multi, a genere non suspensam esse haereditatem promissorum. Nihil est absurdius. Etsi nondum in lucem editi erant gemini, tamen utero concepti erant ex patre Isaaco. Nihil prorsus significant illa verba nisi arbitramur declarari iis electionem factam esse nulla ratione habita ipsorum fratrum. Tum adjicit scriptor, ut clarius rem illustret, μηδὲ πραξάντων κ. τ. ἑ., quasi de industria usus fortissimis verbis. Non exaravit vocem ἔργα, forsan, ne quis Paulino loquendi usu abductus alienam sententiam comprehenderet. Graviter dicit nihil prorsus fecisse fratres quod vel bonum vel malum habendum sit, quum oraculum gravidae matri futuram sortem liberorum praesignificabat; unde colligitur Apostolo animo obversatum esse, minime quod contemptim dicitur opus legis, sed omnino totam eligendorum conditionem indolemque, quam quidquam attulisse ad electionem negat. Quamvis clare ostendatur PAULI oratione Deum absolutam causam esse electionis, tamen hanc evidentiam effugere conati sunt multi. Scilicet quae fecerint moderata esse electionem negari dicunt, non item futuram probitatem. DE WETTE hanc rationem jure vocat „*Auskunft*" eamque nihili esse dicit. Primum attendatur PAULUM nusquam praevisas actiones distinxisse ab jam editis factis; sed simpliciter conatus hominum opponere misericordiae Dei; quo fit ut temere fingatur talis distinctio. Deinde verba scriptoris illam non admittunt, quod praeclare ostendit REUSS (*Hist.* etc. II, p. 136.): „*ce serait une fausse interprétation de dire, que Dieu sait d'avance si un homme persistera dans le mal, ou s'il se convertira, et qu'il règle la prédestination sur cette prévision. On retranche ainsi de la thèse dogmatique ce qu'elle a de plus essentiel, et le οὐκ ἐξ ἔργων ne trouve pas son compte*". AUGUSTINUS etiam hoc vidit et existimat tunc scripturum fuisse PAULUM: *ex futuris operibus*; „eoque modo istam solveret quaestionem, immo nullam, quam solvi opus esset,

faceret quaestionem" (*Enchir.* c. 98.). Nonne etiam mirum videatur Deum qui praenosceret detestabile Jacobi factum, quo promissorum haeres factus est, praemii instar summum suum beneficium quasi sceleri injunxisse? Si ex lege morali factum illud aestimamus, quod pietatem simul et fidem offendebat ejusque violabat sanctissimum jus, existimandum videtur hoc uno Jacobum indignissimum fuisse qui eligeretur. Quibus perspectis alii non minus absurde *fidei* praevisionem finxerunt. BENGEL: „οὐκ ἐξ ἔργων, non ex operibus, ne ex praevisis quidem. Vide: electioni non opponitur fides, sed opera". Perinde sentit S. DEYLING (qui etiam hoc lectori narrat „Apostolum non *absolute*, quod nihil boni malive perpetraverint, sed *relate* ad Jacobi electionem loqui"; l. l. p. 714.). Hanc opinionem non convenire in verba scriptoris facile monstratur. Primum, quoniam BENGEL *disjuncta* in medium vocavit, notandum est non adeo referre quid electioni opponatur; sed quaerendum quid contrarium sit τοῦ: οὐκ ἐξ ἔργων. Quum vero hisce ἔργοις non opponatur πίστις, sed Deus ὁ καλῶν, temere ac nulla ratione pro hoc sponte substitueris πίστιν. Quidni tandem, si BENGELII sententiam habuisset PAULUS, dixerit: ἀλλ' ἐκ πίστεως, quod sexcenties contrarium est ἔργοις? Non potuit non sic scribere; nam sine dubio piis Christianis rejectio Judaeorum videbatur effectus denegatae fidei. Nunc autem contra suam sententiam imprudenter pro *fide* exarasse *Deum qui vocet*; et, quum fides sit ipsius hominis, Deum miscuisse rebus humanis; et Deo auctori ut adscriberetur commisisse, si qui non fidem haberent, quod ipsorum esset hominum: tune hoc credideris? Imperiti stultique tironis erat sic scribere, nisi *fidem* dari existimaverit a Deo καλοῦντι. Praeterea expedit accuratius considerare verba Apostoli. In fine vrs. 11[i] complexurus erat quod summa fuerat disputationis. Negaverat autem tantummodo, hominum operam moderatam esse electionem; nunc volebat declarare etiam quae causa ejus esset. Illud enunciavit hisce: οὐκ ἐξ ἔργων; hoc sine ulla dubitatione: ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος. Disjuncta sunt

Deus et homines. Deum esse causam unam, absolutam; nihil in homine esse causae, tam diserte, tam clare non modo significat PAULUS, verum etiam declarat, ut vel minus intelligenti eluceat. Tum ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ quascumque solent comminisci causas praeter voluntatem Dei delectum facientem longe removet. Porro videas, quam inepte fingant distinctionem operum et fidei in Patriarchis, quorum optimum opus erat ipsa fides. Denique post doctores Reformatorum monemus fore utique *volentis* et *currentis*, non unius *Dei miserentis*, si sententia repulsa valeret; cf. CALV. *Instit.* II, 5, 17. III. 24, 1. *).

Postquam singulas partes disputationis explicavimus et defendimus, totam verbis complectamur.

Agitur de societate Christi, ad quam Judaeorum major pars praeter opinionem non adducta esset. Consolatur Christianos PAULUS de hoc eventu, quippe qui decretis divinis ita praestitutus sit. Deus sua beneficia administrat delectu habito; simulque significavit se eadem ratione salutem Christi Messianam distributurum esse. Vrs. 6.—9. monstravit scriptor promissionis filios a Deo constitui; et non tantum a Deo eligi; sed praeter naturam, potentissima Dei opera, conceptum et partum esse Isaacum, in quem conferrentur promissa Messiana. En, habes documentum promissa quae nunc in Christo rata facta sint non adjuncta esse propagini Abrahami, neque omnes Judaeos adepturos esse salutem Messianam. „Jam altius conscendere incipit [vrs. 10. sqq.], nempe ad indicandam hujus diversitatis rationem, quam non nisi in electione Dei positam esse docet. Hactenus enim paucis verbis notaverat discrimen esse inter carnales Abrahami filios: nempe quamvis omnes in foederis societatem circumcisione sint adoptati, gratiam tamen Dei non esse in omnibus efficacem: eos ergo, qui fruantur Dei beneficio, esse promissionis filios. Unde autem id contingeret, vel tacuerat, vel certe obscure insinuaverat.

*) CALVINUS a. l.: „si opera locum haberent dicendum erat: ut operibus constet sua remuneratio".

Nunc vero aperte causam totam ad electionem Dei refert, eamque gratuitam et quae minime ab hominibus pendeat" (CALVIN. ad vrs. 11.). Videmus rem illustrari eandem, sed ab alia parte. Isaacus et Ismaël jam erant pueri, quare alteri alterum indole praestare opinari quis possit; praeterea alter erata ncillae filius. Haec etiam ad electionem nihil afferre; neque genus neque indolem quidquam valere docet Apostolus exemplo Isaäcidarum. Eo consilio oraculo Rebeccae praedixisse diversam sortem geminorum dicit PAULUS, ne videretur abrogatum esse propositum Dei delectus habendi, sed permanere. Haec electio liberrima est neque ulla qualicumque causa tenetur praeter absolutam ipsius voluntatem. Praeclare PAULUM intellexit REUSS (*Hist.* II, p. 136.): *Il y a plus: non-seulement Dieu en agit ainsi envers eux; mais il a déclaré d'avance, qu'il en agirait ainsi, afin que cette destinée si inégale fût reconnue pour l'effet de l'absolue volonté divine, et non pour la conséquence de ce qu'auraient fait les individus* (οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τ. καλοῦντος), *et afin que le principe de la prédestination absolue fût mis à l'abri de toute fausse interprétation* (ἵνα ἡ κ. ἐ. πρ. τ. θ. μένῃ)". Causa cur eligat et rejiciat Deus simpliciter est *quia vult*; nulla plane alia causa. Hoc cum maxime illustrare et probare voluit scriptor vrs. 10.—13. Jam vero si universos Judaeos adduceret Deus ad regnum Messianum et salutem, sibi non constaret Deus, et edictum ejus irritum cecidisset; nam praesignificavit se delectum habiturum et vocaturum ad Christum quos placuisset.

Hanc sententiam integra explicatio loci praebet, neque eam praeterire oportet Interpretem, quamvis notionibus receptis adversetur. Theologi historici est inquirere quid fecerit et cogitaverit quem cognoscere studet; non vero opinione praecepta per fas et nefas demonstrare eum plane consentire placitis philosophiae quam magnifice dicunt nostrates etiam plurimi Christianae.

§ 3.

Expositio dictorum vrs. 14.—18.

Praegressa disputatione absolvebatur res, quae erat summa argumenti, Deum arbitratu suo delectum habere in concedenda beatitate Messiana. Exposuerat hanc propositionem PAULUS; probavit ex historia promissionum Messianarum; confirmavit eandem laudato dicto quodam Dei in S. Codice. Nihil amplius desideratur, quo recte se hoc posuisse commonstretur.

Jam PAULI oratio, quam nunc interpretaturi sumus, incipit his verbis: *τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ;* quibus respondetur illico convenienter interrogationis formae (*μή*): *μὴ γένοιτο.* —*ἀδικία* est *injustitia*; *injustus* s. *injuriosus* est qui in judiciis et decretis non rationem habet bene maleque factorum; *παρά* est Latinorum *penes* vel *in*. — Videamus quomodo haec sententia manaverit ex praecedentibus. Dixerat PAULUS Deum in eligendo nihil respicere hominum merita, deligere quos vellet; quos amore complexus esset vocare ad consortionem salutis Messianae. Huic sententiae, illustratae exemplis, imprimis Isaäcidarum, sibi reponi posse videbat Deum injustum esse; quum is tantum *justus* putetur apud homines, qui, prout meruerint homines, iis retribuat (RÜCKERT, *Magaz.* l. l. p. 35: *„sein eigenes Rechtsgefühl musste ihn erinnern, dass er von Gott ein Verhalten prädicire, das er, wenn ein Mensch es übte, nur als Ungerechtigkeit zu tadeln vermögen würde"*). *). Non recte cl. SCHOL-

*) BECK bene explicuit transitum superiorum ad n. l. hoc modo (tantum quod notionem *τῆς ἐκλογῆς* pervertit): *„der absolut freie Gotteswille in der ἐκλογή, welcher durch die vorhergehende Induction siegend ermittelt ist, schien mit den privilegirten Rechten zugleich auch die Erfordernisse der allgemeinen Gerechtigkeit zu überwältigen und unbefriedigt zu lassen, und die aller äusseren Bedingung entbundene Selbstständigkeit Gottes liess sich als Willkühr verstehen, welche alle Gesetze der Gerechtigkeit überspringt"*. in l. l. p. 50 sq.

TEN locum videtur interpretatus esse (in l. l. II, p. 91); ἀδικία enim („*Paulus neemt hier het begrip van regtvaardigheid in juridischen zin, van het geven aan iemand, wat men hem regtens verschuldigd is*) in alienam sententiam trahitur. Sententia, quam SCHOLTEN huic voci tribuit, vrs. demum 18° proponitur. Inepte etiam hîc narrata esset, quum quae praecesserunt eam nondum praeparaverint; contra, nostra explicatio inde defenditur (v. supra). Ét verba ét sententiam laedit cl. HOEKSTRA, vulgatam interpretationem emendare conatus, quam revera corrupit (l. l. p. 340 sq.). Scilicet opinatur interrogationem n. spectare totam disputationem, (vocando ad Christum *fideles* non aliter agere Deum quam semper fecerit, nempe liberrime [„*naar vrije genade*"]); itaque significare vrs. 14.: „*Is er onregtvaardigheid bij God, daarin bestaande, dat hij zijne beloften niet gestand doet*?" Sed ἀδικία legitur in textu, quod quî *inconstantiam* possit declarare non apparet. Exspectares ἀπιστία (quamquam hac sententia a PAULO non usurpatum videtur); divina enim πίστις laesa videretur, non δίκη. Rom. III, vrs. 3. dicitur τὴν πίστιν τοῦ θεοῦ καταργεῖν „Dei fidem irritam facere vel ejus promissa". Eadem vi Deus saepe vocatur πιστός. Porro reputes orationis talis incommoda. Videlicet ipse interpellaverit Apostolus quod jam demonstrasset! Etenim hoc probaverat, Deum secundum voluntatem praesignificatam paucitatem Judaeorum adsciscere regni Messiani socios; vel (quod placet ipsi HOEKSTRA) Deum fidem Israëlitis non fefellisse. Jam vero ineptissimi erat scriptoris contexere orationem acsi nihil praecessisset, eademque putide iterare. Tamen confidenter has ineptias attribuit Apostolo cl. HOEKSTRA neglecta admodum simplici ac clara scriptoris sententia. — Haerent etiam h. l. qui nugati sunt de praescientia (v. GLÖCKLER p. 198.). Nunquam enim poterat oboriri haec incusatio, si Deus delegisset quem optimum fore praenovisset; immo ét sapiens ét justus videretur Deus. Sed ponatur paullisper Apostolum quacumque de causa hoc in medium protulisse. Nonne tunc vir perspicacissimus, dialectices

peritissimus h. m. respondisset: „at nequaquam injustus est Deus, nisi forte injusti est, ut quisque sit optimus futurus (sua sponte), ita maximis beneficiis ornare. Cuique suum merito accidit; quae lex est omnium summa, hanc secutus est Deus"? Longissime autem hanc sententiam abesse ab Apostolo clare indicat argumenti sequentis ratio. Haec enim ita instituitur ut redeatur ad supremam Dei potestatem, quam sibi ipse in s. Scriptura adscripserit et vindicaverit; prematur vero quae inde sequitur inferior hominum conditio.

Itaque statuimus Apostolum ipsum se interpellare de divina justitia, quam laedere videretur disputatio. Abhorret autem ab hujus rei cogitatione eamque continuo repellit verbis *μὴ γένοιτο*. Porro eandem redarguit dicto quodam ipsius Dei ad Mosem. De quo quum acriter sit disceptatum, tum, quid sibi hoc dicto voluerit PAULUS, intelligere poterimus, si attenderimus ét voluisse scriptorem his verbis injustitiae speciem a Deo propulsare, qui arbitratu suo, nulla alia causa, homines delectos beet; ét ipsum scriptorem, optimum interpretem, inde facere conclusiunculam vrs. 16., et iterum vrs. 18ª.

Legitur hoc dictum Exod. XXXIII, 19. Disceptationem de versione LXX relinquimus FRITZSCHIO, MEYERO, DE WETTIO, quorum hi negant recte translatum esse locum (vertendum fuisse *ἐλεῶ ὃν ἂν ἐλεήσω*), affirmat ille. Non eandem sententiam habere locum Exodi et PAULI post alios (LUTZ in l. l. p. 203.) etiam vidit HOEKSTRA (l. l. p. 341.). Haec mihi ratio videtur dicti V. F.: Petierat Moses extraordinariam *θεοφάνειαν*. Non concedi poterat quod ille petebat, ut divinum Numen oculis conspiciendum praeberetur (vrs. 20); sed quae humano vultui possunt monstrari benevole petenti indulget Deus. Summae gratiae Mosi dat specimina quibus imminuat negatae petitionis acerbitatem. Sic etiam vrs. 19. affirmat: „cui benevolus sum, haud desinam esse benevolus; qui meam gratiam nactus est, utetur illa semper et revera". (cl. HOEKSTRA: *„die mijn gunsteling is, aan dien bewijs ik mijne*

gunst, enz." l. l. p. 341). Haec nobis videtur sententia loci Exodi; plerique Interpretes sic statuunt, quamquam multi (ut FRITZSCHE, II, p. 314. BAUMGARTEN, *Pentat.*, II, p. 112 sq.) potius usum Paulinum secuti sunt, quam nativam significationem textus Hebraei.

Major autem quaestio est, quam sententiam PAULUS subjecerit dicto V. Codicis. Generaliorem esse PAULO jam patet e VV. *ὃν ἄν*. Jam *primum* attendas ad verba *ἐλεεῖν* et *οἰκτείρειν*, *misereri* et *miserari*. Haec valent apud Apostolum; nam egregie exprimunt Christi salutem donari ex misericordia et gratia, quare omnibus promiscue ut detur nemo postulet, neque de justitia sermonem instituat; misericordia tolleretur, si beneficia acciperet qui melior esset vel futurus esset. DE WETTE: *„durch die Geltendmachung des Begriffs der Gnade, in welcher der Grund jener Auswahl liegt, wird nun eben die Sache aus der Sphäre menschlicher Zurechnung in das Gebiet der absoluten Thätigkeit Gottes hinübergeschoben"*. — *Deinde* apud Apostolum vim habet *ὃν ἄν* cum conjunctivo, quod optime redditur Latinorum *quemcunque*; v. FRITZSCHE, *Sendschr.* p. 54. MEYER ad l. et auctores ll.; praeterea WINER in l. l. p. 355. KRÜGER, II, p. 196. Unde percipitur non significari generalem quandam misericordiam, verum misericordiam erga certos homines. *Denique* pressisse videtur PAULUS *futura* *ἐλεήσω* et *οἰκτειρήσω*; „miserebor quemcunque misericordia complector", ita ut videatur Deus jam Mosi indicasse se cui placeret misericordia *prosecuturum*. Hoc vero etsi non concedas, tamen hujusmodi sententiam complecti te necesse est: „misericors ero cui placebit" (et hanc misericordiam respicere ad salutem Messianam manifestum est); „nulla re teneor neque ortu neque meritis neque quavis alia causa; sola et una regula, ad quam diriguntur decreta gratiae, est divina voluntas". Haec duo enim pondus orationis constituere evidens est, notionem misericordiae (*τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ* VRS. 16); et arbitrium divinae voluntatis, quae misericordiae singulis tributae causa sit; non enim poterat in conclusione memorari

θέλειν Dei, nisi praecedentibus vel praeparata fuisset haec notio vel significata.

Diversi rationem informarunt Interpretes hujus defensionis justitiae divinae. Multi auctoritate Scripturae sacrae repulsare speciem injustitiae putant Apostolum; divini enim juris esse quodcumque illa contineat (USTERI, RÜCKERT). CALVINUS haec scripsit (a. l.): „in quaerendis rationibus quae asperitatem molliant, non laborat: sed satis habet Scripturae testimoniis impuros latratus compescere. Videri quidem posset haec frigida esse excusatio, non esse Deum injustum, quia misericors est quibus visum est: sed quia Deo satis superque est sua unius auctoritas, ut nullius patrocinio indigeat, PAULO satis fuit, eum juris sui statui vindicem". Frigida omnino est haec excusatio, quae, ut defendat rem, munitam ipsam testimoniis S. S., ex eadem Scriptura dictum pro argumento habet. Recte hoc se haberet, si res defendenda ipsum PAULUM haberet auctorem, quam confirmare vellet absoluta Scripturae auctoritate. — Jejunius etiam alii hanc sententiam esse PAULI statuunt: siquidem Mosi, viro pio summoque nihil *debetur*, sed gratuito conceduntur omnia; quo tandem jure tanquam debitum aliquid a Deo postulant Judaei? Quae sententia ét consilio scriptoris refragatur, ét omnino fictitiam esse luculenter apparet e conclusione (vrs. 16. 18.), qualis satis absurda foret. Scite quidem, sed paulo audacius H. VENEMA (*Ann. ad Comm.* STEPH. DE BRAIS) difficultatem non tolli ab Apostolo opinatur, verum significari a nullo homine solvi posse; ideo Exodi locum laudasse putat, ubi ad Dei faciem conspiciendam pertineant verba, ut illustretur divinorum decretorum ratio, quae abscondita sint atque Deo relinquenda. Quae nobis videtur esse loci ratio supra jam brevi proposita est. Naturam indolemque gratiae, quae libera sit nullaque re teneatur recte depingi loco Exodi existimat Apostolus; gratiae impertiendae una celebratur causa divina voluntas. Judaei temere sibi deberi salutem Messianam opinabantur, namque ipse sibi vindicavit Deus jus gratiae tribuendae cuicumque vellet. Cla-

rius apparebit PAULI sententia, si, quod dubitamus nulli, *futura* sui juris sunt; „nam quum Deus suam liberalitatem nulli necessitati adstrictam *fore* denunciaverit, non mirum esse PAULUS dicit, quod nunc Deus sine cujusquam injuria favore amplectatur et per Christum beet quos velit" (FRITZSCHE, II, p. 315).

Nunc conspiciendum est dictum vrs. 16., cujus auxilio jam usi sumus. Conclusionem indicat particula ἄρα (*συλλογιστικὸς σύνδεσμος*: v. KRÜGER, *Ind. ad Anab.* s. v.). KRÜGER, *Gr. Sprachl.* II, p. 344: „*ἄρα hat den Begriff des aus einer vorliegenden Thatsache Ersichtlichen*". De singulari hujus conjunctionis conclusivae vi cs. omnino KÜHNER II, p. 456 sq. De ἄρα οὖν, Apostolo usitata junctura, v. WINER p. 523. Porro animadvertendus est *Gen. pers.*, post verbum εἶναι. Haec locutio ét Graecis ét in N. T. non infrequens est, et exprimit Lat. *penes aliquem esse*. v. KRÜGER II, p. 33. WINER p. 223. Sententia impersonaliter proposita est; subjectum e praegressis addatur (WINER p. 664), np. adeptio misericordiae divinae. Male supplet FRITZSCHE τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ vel ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ (v. a. l. et *Sendschr. an Tholuck* p. 65 *ff.*) Ab initio hujus capitis obversata est animo scriptoris una res, salus Messiae. Lectori relinquebatur mente addere, quod eloqui vetabat PAULUM commotio animi. Quare minime opus est hîc videre ellipsin, in quibus admittendis ut nimii fuerunt L. BOS aliique, ita nostrae aetati convenit prudenter ac sobrie versari. Itaque adeptio salutis Messianae non est in potestate τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος. Mire haec verba vexata sunt, quamvis clara. θέλειν sponte denotat studium adipiscendi aliquid, h. l. salutem Messianam; quod vero a tali studio proficiscitur, virium intentio, qua ad finem optatum perveniendum sit, dicitur τρέχειν. Metaphora ducta a stadiodromis olympicis, quorum contentionem declarat perveniendi ad finem et praemium. Eadem verbi vis est in γνώμῃ ap. KOPPIUM: ἀνὴρ ἄβουλος εἰς κενὸν μοχθεῖ τρέχων. Mire disceptant REICHE et MEYER, quorum ille negat metaphoram

sumtam a ludis Graecis, quod bene currentem finem stadii assequi necesse sit; hîc autem contra REICHIUM dicens aliena infert alia, infra pendenda. Tertium comparationis q. d. neglexerunt vv. dd., quod in metaphora et similitudine probe observandum est. Nihil huc pertinet e stadio praeter studium illud ac contentionem, quae illic maxime sunt conspicua. Non aliter vrs. 30. scriptum est *διώκειν*. Gal. II, 2. eadem sententia pollet, qua IV, vrs. 11. verbum *κοπιᾶν*. Phil. II, vrs. 16. utrumque verbum ut synonymum usurpatur. — Perperam FRITZSCHE *θέλειν* refert ad Mosen optantem ut sibi divini Numinis adspiciendi copia fieret. Nam in verbis PAULI hujus rei nullum vestigium est; non refert scriptor historiam Exodi, sed Dei verba tantum in usum suum convertit. Ceterum notio verbi *θέλειν* ita vulgaris et firma est, ut, in generali sententia posita, cuique vim suam sponte ostendat. Accedit quod verbo *τρέχειν* nihil relinquitur quo referatur. Cui orationis aequabilitati consulturi, ut videtur, alii insulsius etiam *θέλειν* retulerunt ad Isaäcum Esavo benedicere cupientem, *τρέχειν* vero ad Esavi conatus, feram sectantis per quam paternae benedictionis redderetur particeps. Post THEOPHYLACTUM, C. À LAPIDE, VENEMAM, LOCKIUM hanc explicationem renovavit REICHIUS. Verum quum hîc non habeamus conclusionem ex oraculo Genesis, nemo hîc exspectet res quae illuc pertinent; de oraculo Exodi nunc quam maxime agitur. Tum etiam de historia illa nullus fuerat sermo apud nostrum. Longe alia de Jacobo et Esavo memoranda habebat quam venationes, et bene ominandi cupidinem patris Isaaci. Porro jure damnares istiusmodi tectas significationes (*zinspelingen*), quae lectoribus e Gentibus plurimum afferrent obscuritatis, quin ab iis plane intelligi non possent, historiam patriarcharum non penitus notam habentibus; nisi verba ipsa per se satis clara essent. Quid? quod ipsi Scripturae peritissimi haererent, quum historia quidem *venatus* Esavi memoret, *cursus* non item. Jubent igitur ratio et lingua (*ἄρα οὖν*) interpretari verba ita ut complexionem constituant dictorum Dei ad Mosem, et quidem infinitam.

Quoniam θέλειν et τρέχειν omnia complectuntur quae possit facere homo, sententia PAULI est, adeptionem salutis Messianae non esse penes hominem, quamvis optantem et nisu contendentem („*son sort ne dépent point de ses efforts, de la direction qu'il prend*" REUSS II, p. 138); virium intentionem nihil prodesse ad comparandam tibi salutem; sed unam causam esse Deum, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ. Quemadmodum vrs. 12. cum causa scripsit Apostolus καλοῦντος, ita n. l. consulto exaravat ἐλεοῦντος, quo magis misericordia Dei una, absoluta appareret esse causa cur hic adsciscatur in societatem Christi prae aliis.

Parum congruere videtur hoc decretum cum doctrina alibi ab Apostolo tradita; quod hîc ab homine abjudicat, idem postulat 1 Cor. IX, vrs. 24. Quo factum est ut multi Interpretes alia interpretatione inita repugnantiam removere conati sint. Expromam quaedam sollertiae specimina. KOPPIUS opinatur verbis μὴ γένοιτο brevissime repelli interpellationem ut insanam et indignam viro pio, nulla addita copiosiore sententiae demonstratione. Quae sequantur vrs. 15.—18. non continere rationes cur injustitiae non argui possit Deus, sed alia exempla, quibus ostendatur saepius pro libera voluntate agere Deum. Male, credo; quippe injuria informes Apostolum, quoties validis argumentis rem suam defendere non possit, vel invalidis utentem, et omnino fidenter negantem vel affirmantem, prout visum sit. Hoc solum contra KOPPIUM sufficit, vrs. 15. orationem pertexere conj. γάρ, quam perperam docet K. pro δέ positam esse. Porro idem, ut ECKERMANN, NÖSSELT alii, ἐλεεῖν et οἰκτείρειν de beneficiis externis dicta esse putat, etsi PAULI disputatio hac ratione funditus evertitur. Hisce artificiis repellere sibi visus est KOPPIUS quam lingua solam admittit explicationem („quod pessime in hunc locum infertur a nonnullis" ait Interpres); et hanc sententiam subjicere non veritus est vrs. 16.: „virium usum *solum* non sufficere ad id ut quis voto suo potiatur, immo vero *unice* (?) hoc a gratia et benignitate Dei pendere; neque igitur hominis

vel intentissimo studio acceptum referri posse, si beneficiis divinis alter altero sit magis ornatus instructusque".

Leve etiam est commentum HEUMANNI (v. WOLF, *Cur.* ad l.) et STORRII (*Opusc.* II, p. 238 sq.). Hi enim vrs. 15 sqq. non ipsius PAULI, sed adversarii cujusdam, doctrinae deterministicae acerrimi propugnatoris sententias continere putant; hisce autem Apostolum opponere vrs. 22. sqq. suam ipsius. At vero huic opinioni omnia adversa sunt; neque eam memorassem quippe quam nemo etiamnunc defendat, nisi videretur praeclare nostram interpretationem commendare. Refutatur primo part. *γάρ*, quae causam reddit *τοῦ μὴ γένοιτο*; tum consuetudine Apostoli, qua non solet nulla ratione data interpellationes repulsare; cf. III, vrs. 4, 6, 31. VI, vrs. 2, 15. VII, vrs. 7. XI, vrs. 1. Porro monet THOLUCK, PAULUM nunquam munire locis S. Scripturae falsas consecutiones, semper refellere. Etiam memorabile est fictum adversarium non diversa protulisse quam ipsum scriptorem vrs. 10.—13. Pluribus hanc opinionem refutarunt WOLF, KOPPE, THOLUCK, REICHE, FRITZSCHE al., quos cs. Invitos autem STORRIUM ceterosque rejectae sententiae fautores nostram explicationem confirmare non est quod moneamus.

Magno in errore etiam est BECKII n. l. explanatio (*Versuch u. s. w.* p. 49 sqq.). Recte quidem monet nervum disputationis esse in verbis *ἐλεεῖν* et *οἰκτείρειν*, quae contineant notiones plane contrarias illi, cujus principium est *suum cuique*. Sed mirum quantum errat v. d., ubi hanc sententiam l. esse existimat: „*gratia* est si quem gratia afficio". Omnis in *protasi* ponitur vis, et hoc solum secutus est PAULUS (de BECKII sententia) ut gratiae indolem illustraret, atque appareret, quod gratuito detur, id nec juste nec injuste dari dici posse. Contra BECKIUM statuunt multa: primo structura vrs. 15., quae nihil habet, quo doceamur protasin esse premendam; deinde pron. *ὃν ἄν*, quod male negligit BECK, ridicule autem excusat versu 18°, ubi desideretur. Ipsum hoc docet, nostro l. suam vim ac potestatem habere. Tandem prorsus redarguit BECKII in-

terpretationem conclusio vrs. 16., et praecipue vrs. 18., cujus prior pars, ἄρα οὖν ὃν θέλει, ἐλεεῖ, absurde hîc exarata esset, nisi versus 15. divinae voluntatis complecteretur notionem. Hanc sane inepte removit Interpres. Ceterum sesquipedalibus verbis invehitur in „*derselbe fatale Geist der gewöhnlichen* (grammaticae, opinor) *Erklärung unter dessen Hauch im Bisherigen so manches tieflebendige Wort in starre Hieroglyphe sich wandelte*"; cujus interpretationis abjectae studiosum esse mihi honorificum est, quippe qua tuti ab artificiis tortuosis et pneumatica BECKII hermeneutica ad veram scriptoris ducamur sententiam cognoscendam.

Qui falso docent singulorum hominum non respicere PAULUM, sed tantum fidei, conditionis salutis, mire explicant vrs. 15. sq. Nimirum ut defenderet justificationem per fidem, haec scripsisse opinantur PAULUM; apparere enim e s. Scriptura licere Deo novam scribere legem ad acquirendam divinam gratiam. In hac opinione sunt praeter alios DÄHNE (*Paul. Lehrb.* § 10 *not.* 3, p. 79. et HOFFMANN (*Schriftbew.* I, p. 214). Nihil huic opinioni favet, contra, omnia adversa sunt. Temere verba θέλειν et τρέχειν, quorum legitimam significationem supra narratam non recipiebant opiniones Dogmaticae, dicuntur continere notionem *superbe contendendi*; „velle et currere affectatum operariorum nihil efficere" (BENGEL). Vix monito opus est hanc sententiam ne levissime quidem significari a scriptore, et omnino disjunctione (ἀλλὰ κ. τ. ἐ.) refelli. Porro scribendo ὃν ἂν tam diserte ostendit Apostolus se cogitare de Deo, tribuenti gratiam suam *quibuscumque hominibus* velit, ut perquam mirer audaciam Interpretis, qui PAULUM generalem misericordiam, qua nihil nunc ab ejus cogitatione erat disjunctius, significare perseveret. Sic satis repellitur opinio, quae ne uno quidem verbo indicatur in nostra pericope, neque dignam censeremus uberiore refutatione, nisi adhuc multi Dogmatici ea proposita placita Paulina expediri confidentius crederent aliisque persuaderent.

De ceteris explicationibus paucis absolvam. Arcessita an-

thropopathica forma propositionis BUDDEUS, BRETSCHNEIDER, alii, produnt causae anti-praedestinatianae u. d. imbecillitatem ac desperationem. POELMAN, adjudicans PAULO hanc sententiam: „potest igitur absque ulla injustitia gratiam suam ostendere cui vult Deus" (in l. l. p. 21.), quae neque proposita est a PAULO, et ipsa absurda est, quoniam ἡ φανέρωσις gratiae Judaeis non abscondita erat, ostendit non bene agi cum iis, qui, a principiis scholae profecti, inquirant in rem historicam. REICHE (I, p. 301) distinctionem tribuit PAULO h. l. certe importunissimam, BECKIO assentitus, qui in l. c. p. 60. haec scribit: „*In der Folgerung des Apostels liegt es daher keineswegs dass die moralische Bedeutung des menschlichen Wollen und Bestreben im Gebiete der Gnade aufgehoben würde, sondern nur die metaphysische und juridische bezogen auf die Kausalität der Gnade*". Quae opinio multis recepta dictis jam satis superque refutata est; et profecto PAULI orationem vel mediocriter intelligenti ejus pravitas ante oculos est. GLÖCKLER, elegans Interpres, tantum quod doctrinae calvinicae aversatione in nostra re saepe a vero abducitur, PAULUM cogitare existimat de salutari ac sapientissima Dei gubernatione, quae melius quam nostra hominum imbecillitas et perversitas res humanas possit moderari. Haud absurde hunc locum narravit, et lubenter cum GLÖCKLERO nobis gratulamur de divina mundi rectione. Verum l. n. haec res non agitur; sermo est de illa misericordia Dei, quae conspicitur in *vocando* ad salutem Messianam ejusque impertienda beatitate cui visum est. — A sententia GLÖCKLERI non longe abesse videtur cl. v. HENGEL, si recte cepi quod brevissime dixit vir ill. p. 29 libri l. — Postremo laudem verba D. FR. STRAUSSII, dignissima quae teneantur, summamque quaestionis continentia: „*ἐλεεῖν und οἰκτείρειν ist in der Anführung der Paulus nicht blos von einer so eigenthümlichen Gunstbezeugung, wie dort Mose sie sich erbat, sondern ganz allgemein von jeder Art göttlicher Gnade zu verstehen, da ja in der Anwendung die Aufname in das Reich Christi darunter fällt*" (*Streitschr. s.* 170).

Quae sequuntur vrs. 17. non ita difficilia sunt intellectu, si verum cognoscere volumus et ut cognoscamus recte incedimus. Duo certa sunt, ét hoc versu rationem aliquam dari superius dicti (*γάρ*), ét hinc complecti ipsum scriptorem *ὃν θέλει, σκληρύνει* (vrs. 18.).

Docet part. *γάρ*, cujus est proxime dictorum rationem dare, fundari sententiam vrs. 16., „in solius Dei potestate esse quosnam reddat felicitatis regni Christi participes"; et quidem ita ut illud defendatur arcessita sententia opposita, quo clarius etiam fiat Deum liberrime agere. Dictum, quo utitur PAULUS, depromtum est ex historia notissima Pharaonis et legitur Exod. IX, 16. Notabile est PAULUM mutasse versionem Alexandrinam. Ut taceam minora (*ἵνα* pro *ὅπως*; *εἰς αὐτὸ τοῦτο* pro *ἕνεκεν τούτου*), pro *διετηρήθης* (LXX) exaravit Apostolus *ἐξήγειρά σε*. Quum soleat laudare Alex. versionem, sibi et imprimis lectoribus consuetam, vel ad verbum, vel paulo liberius: jure putamus, ubi aliam interpretationem sequitur, PAULUM consulto id fecisse et cum causa. Vocem Hebraeam (הֶעֱמַדְתִּיךָ) LXX reddiderunt passiva inita structura *διετηρήθης* „vivus servatus es". Ex eorum interpretatione sententia loci Exodi haec est: Jam pridem manum meam in te porrigere potui teque percutere atque adeo de medio tollere; sed hucusque te conservavi, etc. Forma Hebr. (עָמַד), quamquam hujus usus exempla non nota habeo, sic intelligi potest ex analogia significationis (*fecit ut perstaret*, qua vi *consistendi* (contr. *interire*) in *Kal* frequens est). Cl. SCHOLTEN male interpretatos esse verbum LXX dicit in l. l. II, p. 92, PAULUM vero emendasse versionem. Utut est, PAULO displicuit versio, quod alienam sententiam exprimere censebat; scripsit *ἐξήγειρά σε*, quod explicandum est ex usu verbi et oratione PAULI. Recte SCHOLTEN improbavit multorum opinionem (etiam v. d. PALMII), reddendum esse: „in vita te conservavi". Nituntur versione Alex., quam idcirco reliquisse PAULUM finxit WOLF, ut eandem rem *magis emphatice* enuntiaret. Equidem frustra quaesivi istam *emphasin*. Etiamsi posset significare *ἐξεγείρειν*

conservare, tamen inepta erat haec interpretatio. Scilicet beneficium eximium hîc indicari opinantur (v. KOPPE, NÖSSELT, WOLF). Sed autem, qui expenderit vrs. 18^b, et vrs. 19 sqq., hoc temere ac false poni sponte videbit *).

Siquidem constat locos V. F. in epistolis PAULI non explicandos esse secundum sensum archetypi, sed ex ipsius Apostoli verbis et disputationis perpetuitate: jam videamus, quid possit denotare ἐξεγείρειν. Duae potissimum rationes sunt explicandi, quas lingua non improbet; altera CALVINI, RÜCKERTI, OLSHAUSENI, MEYERI, al., haec: „in medium te prodire jussi, hanc personam tibi imposui" (CALV.), qua tota regis ἐπιφάνεια designetur. Cum hac explicatione componit DE WETTE versionem BEZAE, quae tamen diversa est: „feci, ut existeres", quod spectat *procreationem*. Idem sequi videntur nostrates, reddentes: „*verwekken*". Haud parum commendationis habet BEZA ét ab ipso verbo (cf. ἐγεῖραι Luc. III, vrs. 8)., et in vrs. 20 et 21. Altera interpretatio probatur AUGUSTINO, inter recentiores DE WETTIO, FRITZSCHIO, SCHOLTENO, al.; vertunt: „excitavi te ut resisteres, ut mihi renitereris". Haec imprimis fundata est in verbo. Notum est verbum ἐγείρειν vi *excitandi*, *lacessundi* frequenter pollere apud HOMERUM Atticosque. Eadem vi gaudet etiam ἐξεγείρειν. Sic DIODORUS SIC., *Biblioth.* XIV, c. 44. dixit ἐξεγείρειν πόλεμον. EURIPIDES, *Orest.* 1544. (PORSON): ἐξεγείρεται, *excitatur*; XENOPH. *de re eq.* cap. XI.: ἐξεγείρας τὸν ἵππον. 2 Macc. XIII, vrs. 4.: ἐξεγείρειν τὸν θυμόν τινος „incitare alicujus mentem". Quamquam haec praecipue commendatur a verbi significatu, tamen contextui

*) Alii verbum h. l. reddunt: „evexi te" sc. in regnum. Recte autem hoc rejecit praeclarus BEZA; „sed", inquit, „quum nihil simile hîc addatur, et simplicitur dicatur Deus Pharaonem ἐξεγεῖραι, requiro simile exemplum, in quo idem verbum accipiatur pro *evehere*". Hunc errorem renovavit GLÖCKLER, qui longa et acerrima oratione rem defendere studet, rebus arcessitis alienissimis. Recte de ejus interpretatione dixit RÜCKERT „*Doch seine ganze Auslegung, so heftig sie sich auch der bisherigen als einer willkürlichen und gottlosen entgegen stellt, so willkürlich und unpaulinisch ist sie doch selbst.* (*Comm. II, p.* 42).

dirimenda est controversia. Hic autem posteriorem explicationem flagitat, alteram repellit. Nam vrs. 17. ita est enarrandus, ut idem fere efficiatur, quod designasse ipse declarat scriptor vrs. 18.: ὃν θέλει, σκληρύνει. Quod tum demum locum habet, ubi vertimus: „excitavi te ut resisteres mihi, lacessivi te". MEYERUM falli, qui suam rationem explicandi verbum bene convenire opinatur cum vrs. 18. luculenter demonstrat FRITZSCHE II, p. 322. Ne BEZAE quidem interpretatio quadrat ad verbum σκληρύνειν. — Finis, in quem Deus ἐξήγειρε Pharaonem, satis clare proponitur; patet autem non magni ponderis esse illa verba in disputatione PAULI. Summa est, suae gloriae causa Pharaonem ἐξεγεῖραι Deum.

Vrs. 18. continet conclusionem e dictis vrs. 14.—17., eorumque summam. Constat ex duobus membris, quorum unum complectitur vrs. 16. et 17.: ἄρα οὖν ὃν θέλει, ἐλεεῖ. Sententia et ipsa per se perspicua est („misericordiam tribuit Deus, quibus tribuere placet"), et in contexta oratione facile intelligitur. Agitur regni Messiani societas, qua destituti essent plerique Judaei. Praesignificasse Deum docet Apostolus, se cum delectu, ex arbitratu suo, vocaturum regni socios; nihil afferre merita vel jura. Nequaquam injuste agere ita efficit PAULUS, ut salutem Messianam referat ad beneficia divina, quae gratuito dentur; in quibus sermo esse non possit de meritis vel jure. Gratia prosequi quem velit; unam regulam ad quam distribuatur gratia esse divinum arbitrium. Duo sunt observanda: unum, voce ἐλεεῖν denotari salutem Messianam. Fuerunt omnino qui nescio quae beneficia externa significari h. l. nugarentur; res autem evidentior quam ut multis de ea disceptaremus. Toto capite agit PAULUS de salute Messiana, beneficiorum summo; insuper hoc satis apparet ubi vrs. 22. sqq. respiciens ad nostrum dictum, rem aperte profitetur. Alterum quod tenendum est contra eos, qui *singulis* pro liberrimo suo arbitratu misericordiam dare negent Deum; gratiam ipsam se daturum in Christo (omnibus qui fidem habituri essent) constituisse tantum opinentur, est dictio ὃν θέλει,

qua una evidentissime eorum error convictus est. Diutius nos detinebit alterum membrum vrs. 18., non quod impeditius sit vel adeo difficile explicatu; sed quia Theologorum opiniones de Deo multa commentae sunt, quae omittere non possumus, quamvis tardent nostram disquisitionem. Nimirum hîc imprimis apparet, quam distent partes Interpretis inter se ac Dogmatici; quamque recte dicatur, qui bonus habeatur Dogmaticus, eundem malum esse Explicatorem. Hic enim quaecumque sibi probata sint seponat oportet, remque agat, ab opinionum arbitrio sejunctam, linguae indagatione, logicae verborum sententiarumque conjunctionis perscrutatione; minime vero anteceptis animo notionibus et cogitatis, quibus praecipiatur, quid dicere potuerit quem interpretatur auctor.

Caput est interpretatio verbi σκληρύνειν. — Verba in -ύνω exeuntia, quae barbare dicuntur *factitiva*, declarant: „facere aliquem (aliquid) talem (tale), qualem (quale) unde deducitur adjectivum designat"; cf. BUTTMANN, *Ausf. Gr. Gr.* II, p. 309. WINER, p. 103. FRITZSCHE II, p. 324. *). Jam σκληρός est *durus, contumax* (v. DOEDERL. *Handb. d. Synon.* p. 176), ut σκληρύνειν sit *durum, contumacem facere*, h. e. efficere ut quis renitatur, recalcitret, se duci, sibi persuaderi non patiatur. (de voce σκληρός cf. Lexica, et *Job.* IX, 4. LXX.)

Ex hac interpretatione Deus dicitur contumacem fecisse Pharaonem: quae σκληρά sententia ita multos offendit, ut diversam explicationem anquirerent. Praecipua est quam defendunt praeter NÖSSELTUM, ERNESTIUM (*Opusc. phil.* p. 249), BECKIUM, THOLUCCIUM (?), etiam BRETSCHNEIDER et WAHL; vertunt „aspere, durius tractare", id quod ob multas causas improbandum mihi videtur. Paucis explanandae sunt et illustrandae.

1°. *Primo* repugnat etymologiae linguae (v. supra). Contra

*) KRÜGER, omnium instar grammaticus, ut solet, praecise dicit (*Gr. Spr.* I. p. 190): „*Die auf —ύνω bezeichnen das Erzeugen einer Eigenschaft, λεπτύνειν, παχύνειν, ὀξύνειν, πραΰνειν*". Adde quae FRITZSCHE attulit exempla.

dicit THOLUCK ex analogia verborum in -όω exeuntium, quibus idem obveniat. Sed non multum sic probatur, nam temere quod proprium est verborum in -όω, idem aliis verborum generibus adjudicatur; tum etiam illorum numerus frequentior est in lingua Graeca quam horum, ita ut ibi facilius occurrant exceptiones in magno numero. Praeterea hoc genus eo minus fixam ac circumscriptam habet potestatem, quod non, ut constanter nostra verba, ab adjectivis *) tantum originem ducunt, verum etiam a substantivis, et quidem subinde 3ae declinationis, e. c. πυρόω. Quo fit ut illic significationis constantiam nemo desideret, quae hîc obtinet; neque vero ad talem fictam analogiam liceat verborum nativam vim lubidine commutare et vexare. Certe nullum praeter hoc, de quo agimus, verbum exemplum afferre potuerunt quod vulgatam potestatem amisisset.

2°. Quod ratione disputavimus, nunc usu comprobandum est. Nimirum in S. C. verbum σκληρυνειν nunquam est *aspere tractare*, semper *durum facere* vel sim. BRETSCHNEIDER cet. contendunt „de saevitia et duritie in agendo legi etiam Gen. XLIX, vrs. 7. Jud. IV, vrs. 24. 2 Chron. X, vrs. 4. (cf. 1 Reg. XII, vrs. 4. ἐβάρυνε τὸν κλοιὸν ἡμῶν) Job. XXXIX, vrs. 16". Sed ne speciosos quidem esse tres priores locos ibique valere consuetam verbi potestatem, simplici locorum versione ostendit FRITZSCHE. De posteriore loco mirum in modum nugatus est BECK, in l. c. p. 76. Scilicet bis occurrit in V. F. verbum הִקְשִׁיחַ, Jes. LXIII, vrs. 17. et loco Hiobi. Illic *indurare*, hîc *aspere tractare* esse contendit v. d. Illud

*) Temere FRITZSCHE (II, p. 324) hanc originis constantiam, quam posuerat BUTTMANN, refelli censuisse videtur verbo ἀνδρύνω i. d. ἄνδρα ποιεῖν. Nam verbum illud perquam dubiae est auctoritatis. Sin vero unquam exstiterit, formatum est senescente Graecia, quum Graecitatis imperiti plura vocabula finxerunt, linguae naturae et consuetudini quam maxime contraria. Quales idiotarum fictiones apud nos non valent ut certissimas regulas grammaticas evertant. — Ex verbis hujus generis (ut hoc addam) unum exemplum novi, quod *intransitive* usurpatur, βραδύνειν; hoc autem nihil valere contra descriptam eorum potestatem, sponte videbit, qui, quam frequenter verbis *activis* vim *intransitivam* tribuant Graeci, secum reputaverit.

vertunt LXX σκληρύνειν, hoc autem ἀποσκληρύνειν. Jam BECKIUS sic argumentatur: LXX reddiderunt verbum loco Hiobi per ἀποσκληρύνειν, quo composito devolantis alitis magis graphice depingerent impetum; *ergo* σκληρύνειν significat *dure tractare*. At haec sunt nugatoria. De textus Hebraei significatione dubitari potest. Bonae notae Interpretes explicant: *durum esse in* etc.; praeclari alii: *indurare*. Haec certe commendatur ab ipso verbo. Nam קשׁח nihil est nisi fortius קשׁה, quod (in *Hiphil*) frequens est et semper denotat *durum facere*, paululum pro contextu variata notione (LXX σκληρύνειν), cf. Exod. VII, vrs. 3. Deut. II, 30. X, 16. 2 Reg. (4 *Βασ.*) XVII, 14. Ps. XCIV (XCV), 8. Jes. LXIII vrs. 17. al. — Ex. IV, 21 חזק LXX σκληρύνειν. Ita ut quis gravari possit hunc constantissimum usum deserere; qua in causa LXX deprehendere videor. Sermo est de struthiocamelo (non de *ciconia*, (ut placuit TITTMANNO *Opusc.* p. 617) cujus erga pullos pietas eximia celebratur (חֲסִידָה), quod nomen opponitur struthionis impietati), quae ova in terra relinquat cett., quae הַקְשִׁיחַ בָּנֶיהָ ἀπεσκλήρυνε τὰ τέκνα ἑαυτῆς, לְלֹא־לָהּ, ὥστε μὴ ἑαυτήν (RÜCKERT scribit ἑαυτῇ); reddentes sequentia: εἰς κενὸν ἐκοπίασεν, ἄνευ φόβου, ostendunt LXX se locum non intellexisse, verbum autem e verbo expressisse. Jam vero, siquidem non est docti Interpretis et veri amantis pro certis aucupari incerta, apparet hunc locum impeditissimum atque incertissimae explicationis non valere contra id quod multiplici usu scientiaque compertum habemus. Verum in hac Alex. complicata versione sunt etiam, quibus repellitur opinio BECKII cet.. Scribitur ἀπεσκλήρυνε, quod levitate grammatica BECKII non submovetur. Etiamsi simplex verbum posset significare *male habere*, tamen de hoc composito dubitandum esset. Praeterea nos docet usus satis luculenter ἀποσκληρύνειν declarare *in-ob-durare*. ATHENAEUS utitur verbo *Epit.* Lib. I, c. 44. (ed. SCHWEIGH. I, p. 91), ubi de λουτροῖς agit nervis conducentibus: εἶτ' ἐπαλείφοντες λίπα πρὸς τὸ μὴ ξηρανθέντος τοῦ ὕδατος ἀπεσκληρυμένα γίνεσθαι τὰ σώματα „ne

desiccata aqua nimis *obdurarentur* corpora". In carmine quodam insulso LEONIDAE TARENTINI (ed. MEINEKE, carm. XI, p. 26.) pellis caprina non praeparata dicitur *ἀπεσκληρυμμένον (στέρφος)*, nimirum „dura, aspera facta". — Quare nullus dubito quin LXX, s. recte s. false, exprimere voluerint quod nobis est *harden, gehard maken.* Certe constat *aspere tractare* verbo *ἀποσκληρύνειν* denotari nequaquam *potuisse.* Quod si dicere voluissent, alia verba in promptu erant.

Postquam e V. T. opinionis levitatem ostendimus, verbo monendum est de N. T., quo idem docemur. Legitur verbum praeter n. l. Act. XIX, vrs. 9. et quater in Ep. ad. Hebr. III, vrs. 8, 13, 15. IV, vrs. 7. et constanter significat *indurare.* BECKIUS hanc causam defendit, quod semper conjungatur verbum cum *καρδία*, si *induratio* designanda est. Quod cum non verum sit (v. Act. XIX, vrs. 9. Hebr. III, vrs. 13.), tum, si verum esset, nihil probaret. Quum enim nulla causa sit, cur non de homine universe dici possit, quod ad certam quandam ejus partem pertineat, praesertim ad *καρδίαν*, quae quam maxime constituat hominem; namque regula Hebraismi h. l. non convenit in linguam Graecam; temerarii foret empirici paucissimis exemplis cognitis legem statuere, cui obtemperare necesse sit linguam. Hoc tum demum fieri poterit, ubi multis lustratis exemplis, non modo sic evenire conspexerimus, verum etiam causas rei cognitas habuerimus, ob quas non possit fieri ut non sic contingat. Efficimus ut ne speciem quidem veri habeat opinio improbata, maleque negasse BECKIUM l. c. p. 75. *„dass Sprachgesetze und Sprachgebrauch die Verstockungs-Interpretation unbedingt aufnöthigen".*

3°. Hac disputatione satis convicti sunt errores BECKII al., et hîc subsistere possem, nisi aequum videretur positivas q. d. audire ejus rationes. Eo minus hoc facere gravamur, quo magis nobis persuasum est illam quasi mathematicam demonstrationem conquassari non posse; et vero convictis captionibus evidentius etiam apparere non esse duas veritates (u. i. d.), sed quod via ac ratione evicerimus, id ab omni parte

verum esse. — Conspiciamus igitur contextum loci in *Exodo*, quo, auctore BECKIO, nostra interpretatio improbetur. In narratione de Pharaone identidem dicitur Deus cor Pharaonis *σκληρῦναι*, cf. IV, vrs. 21. VII, vrs. 3. (vrs. 5: ut sciant Aegyptii, *ὅτι ἐγὼ εἰμι κύριος*) IX, vrs. 12. X, vrs. 20, 27. XI, vrs. 10. Quamquam (quod acuit B.) Exod. IX, vrs. 16., unde argumentum petit PAULUS, de *indurationе* non sermo est, tamen vrs. 12. Deus *ἐσκλήρυνε τὴν καρδίαν Φαραώ*, quare iterum hoc declarari non opus erat. PAULUS etiam inde repetens *σκληρύνειν*, evidenter ostendit se contextum ita intellexisse. Sed enim, si nobiscum reputamus, quare PAULUS exemplum Pharaonis arcessiverit, BECKII commentum continuo corruat necesse est. Agitur contumacia Judaeorum contra Christum; hanc illustrat Apostolus; jam in hac re utitur Pharaonis exemplo, qui omnibus erat quasi species atque imago (*de type*) contumaciae, auctore sacra narratione: num tu credas hanc adeo contumaciam non significasse PAULUM? et plane aliam rem significaturum in Pharaone, ipso quidem hoc verbo usum esse, quod semel iterumque, atque adeo in proxima vicinitate dicti laudati, declarat viri *indurationem*? „Credat Judaeus Apelles". Sana ratio contra dicit. Tum etiam id quod spectabat Deus quum *ἐξήγειρε* Pharaonem (vrs. 17.), et finis *indurationis* ll. cc. Exodi tam mirifice inter se concinunt (quo patet recte vrs. 18^{b}. complexum esse PAULUM e vrs. 17.), ut non possint non eadem verba idem denotare.

4°. Deinde suam interpretationem defendit BECK auxilio disjunctionis; scilicet *misereri* et *indurare* non esse notiones contrarias quales *misereri* et *non misereri*. In hanc partem valere videtur BECKII sententia, sed specie tantum. Nam *asperius tractare* postulat contrarium *benignius tractare*, quod l. n. verbo *ἐλεεῖν* non indicatur. — Sed videamus utrum hoc BECKII monitum valeat contra veram verbi explicationem. Primum iteramus RÜCKERTI admonitionem, minus accuratam disjunctionem solam nondum posse litem discernere; deinde recte se habere nostrum locum ostendam. Etenim disjunctio, quae

vocatur in logica, hîc non postulatur, quum PAULUS non sua sponte duas notiones contrarias proposuerit, sed singulas repetierit ex exemplis V. F.; ἐλεεῖν manavit e vrs. 15., σκληρύνειν e vrs. 17. Dummodo recte singula verba nitantur locis Exodi, non magnopere refert utrum plane contraria sint. Non sint igitur vocabula, at res certe prorsus contrariae sunt. Nam ἐλεεῖν eam misericordiam Dei indicat, qua salute Messiana ornat (cf. Rom. XI, vrs. 30.—32.) Verum sicuti ut fidem habeant Christo, hominum animus mitis ac lenis reddendus est et multo opere praeparandus; ita verbum ἐλεεῖν hanc sententiam complectitur. Qui autem fidem non habent, σκληροκαρδίᾳ abstineri putantur a salute oblata. Verborum ratio igitur haec est, ut illo designetur Dei misericordia, qua alicujus voluntatem et amorem sibi conciliet, eumque adsciscat Messiani regni socium; hoc vero sit: hanc contumaciam excitare vel efficere, qua fiat ut repellatur salus Christi.

5°. Hae BECKII rationes ita sunt inanes vanaeque, ut inde effici possit quid valeat primum ejus argumentum, „in hoc orationis contextu nihil exponi nisi res rationesque externas". Semel iterumque refutatam opinionem nunc relinquimus. Hoc solum advertatur ipsum BECKIUM optime suis captionibus palam fecisse hujus opinionis levitatem. *).

Itaque habemus Deum contumacem facere, quem visum sit; quo utatur argumento Apostolus propositionis vrs. 16., non esse in potestate hominum, verum penes Deum regni Messiani consortionem. Probato contrario res eo evidentius apparet. Nunc Deo vindicata est libertas distribuendi in homines salutis gratiam pro voluntate.

Sententia haec dura et atrox videtur multis adeo ut interpretationem quaesiverint, qua illam devitarent. Quamquam

*) Praeter ea quae exposuimus, hoc etiam ponderosum est contra BECKII sententiam, PAULUM versum 19. opponere dictis τί ἔτι κ.τ.λ. Sed quoniam hoc rationemque qua interpellationem repellit Apostolus contra alias etiam opiniones de loco nostro statuere probaturi sumus, illorum explicationem infra exhibebimus.

pietate ducti, quod conscientiae humanae injustum videtur et violentum, ne tale quid Deo adjudicetur in sacris Litteris laborarunt; at tamen frustra fuerunt. Aliud est pietati consulere et perfectis notionibus de Deo, aliud enarrare sacra antiquitatis monumenta. Hoc igitur TURRETTINI: „absit ut sensum locutioni illi adfingamus Dei virtutibus adeo injurium" et similia indagationi veri officiunt. Quum Interpretis „orthodoxia niti debeat veri amore et professione" tum prae pietate dissimulare aliquid ille habeat religioni *). Exempla nonnulla proferam. KOPPIUS quidem, etsi fatetur vrs. 19. spectare animi obdurationem, sententiam PAULI ita pervertit, ut minus etiam nasci potuerit τί ἔτι μέμφεται;, quam si praecc. habuissent *aspere tractare*. Extenuando hanc sententiam PAULO tribuit: „alios obstinatos fieri permittit, ut poenas luant". Praemonuit ipse per σκληρύνειν hominis libertatem non sublatam judicandam esse. Hoc et KOPPII et aliorum πρῶτον ψεῦδος est, poni aliquam notionem quae moderetur interpretationem. Non recte hoc KOPPIUM fecisse docent ét verba quae non memorent illam *permissionem*, ét disputationis indoles quae pervertatur ea accepta, ét sqq. quae sic absurda dicta essent. Hanc opinionem recepit etiam MEYBOOM et ornavit multiplici errore. Nimirum ét *praescientiam* in auxilium vocat ét opinatur occasionem Pharaoni datam esse a Deo qua ejus malitia apparuerit, ét alia huc refert quae maxime distant. Locum adeo PAULI non interpretatus est, verum eo usque laborat, donec pervenit ad hanc sententiam „hominem scelerum suorum ipsum contrahere culpam, Deum male facta moderari et convertere in bonum finem". De quo decreto quum non disceptem, tum

*) Apposite monuit v. AMMON (ad interpretationem Koppianam h. l.): „Sensum Apostoli emolliri a beato KOPPIO, certe non est, quod aegre feras. Judicium tamen longe aliud de h. l. tulere LUTHERUS atque CALVINUS; neque diffitendum est veritatem sensus grammaticam, quamvis duram et asperam, praeferendam esse tamen in commentario exegetico paraphraseos philosophicae mollitudini"

PAULUM hoc sibi voluisse atque vel levissime significasse praecise nego. Non melius alii putarunt PAULUM proponere Pharaonis exemplum Judaeis obstinatis. Quemadmodum enim Pharaoni divina beneficia in perniciem evaserint sua contumacia, idem manere Judaeos nisi resipiscant et recipiant oblatam salutem. Alii denuo aliter, sed omnes hoc habent commune, quod Pharao appareat ipse se obdurans (vidd. GROTIUS, TURRETTINUS, WOLFIUS, WETSTEIN, GLÖCKLER, NEANDER (II, p. 709.) THOLUCK al.): hoc vero verbis Apostoli improbatur, quae explicare quam sponte supplere et convertere non maluerunt. Cunctas interpretationes diversas una refutatione complecti possumus, quia ex eodem errore cunctae nexae sunt. Ponunt enim peccatum excipiendum esse, contumaciam ipsam non effectam esse a Deo. Informant animo legem quandam moralem, qua fiat ut peccatum pariat peccatum. Sed PAULUS dicit: Deus σκληρύνει ὃν θέλει, non adeo improbum, qui jam est σκληρός, sed *quem vult* contumacem reddit. Profecto de hac voluntatis libertate detrahitur, si legem illam moralem sequi Deum putamus; et vero opinando Deum ex improbis deligere, quos peiores faciat similiter laeditur notio et imago Dei, nihilque proficitur. Accedit ut vrs. 21.: ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος utramque opinionem redarguat. Nam ibi diserte indicat Apostolus pendere ex arbitratu Dei *promiscue* aut gratia sua ornare, aut non ornare ita ut ὀργῇ divinae obnoxii fiant. — Tum vero omnia illa legitime ex historia Pharaonis duci possunt; sunt etiam plura ibi utilia lectu bonaeque admonitiones. Sed Theologi, contra quos dicimus, non debuerant argumentari ex ista narratione. Peritus scriptor indicare solet quid sequatur laudando exemplo quodam, neque noster huic officio defuit. Nihil ad hanc disputationem PAULI pertinet quam verba Dei vrs. 17., quae declarant Deum incitasse Pharaonem ut sibi resisteret, ad gloriam divinae potentiae celebrandam. Cetera huc non pertinent, absurdumque est aliena ista complecti verbo σκληρύνειν. Recte MEYERUS hanc PAULI simplicem sententiam et liquidam esse existimat: „*von Gottes freier Wil-*

kür dependire es mit seiner heilbringenden Huld zu beglücken, oder aber in diejenige geistige Verfassung zu versetzen, in welcher man kein Gegenstand seiner heilbringenden Huld, (sondern vielmehr nur seiner ὀργή) sein kann". Hoc etiam cunctis interpretationibus, de quibus agimus, est commune, quod in hanc Paulini sermonis continuationem minime quadrant. Toti praegressae disputationi obstrepere varias illas opiniones e supra dictis evidens esse videtur. Restat ut ostendamus quam praefracte improbentur sequentibus. Apparebit ex interpretatione severa et accurata, sententiam vrs. 19. cum iis quae effecimus e praecc. aptissime cohaerere; ceteras expositiones, ne levitatis arguantur et plane redarguantur ab ipso scriptore, etiam hujus vrs. sententiam quamvis certam et dilucidam, pervertere *).

---

§ 4.

Expeditio dictorum vrs. 19., 20., 21.

Vrs. 19. incipit: ἐρεῖς οὖν μοι· (alii μοι οὖν) **Τί οὖν ἔτι** *μέμφεται;* †) οὖν pertinet ad proxime praecedens, h. m.: Si

*) Multa, brevitati consulturi, hîc reliquimus. Sic praetermisimus DÄHNIUM, qui, ut tueatur opinionem saepius memoratam, PAULI verba haec non minus vexavit quam cetera. Exemplo sit explicatio verbi σκληρύνειν: *„Gott machte gerade die Ungläubigen in Wahrheit erst durch seinen freien Entschluss* (sc. deligendi fidem ut salutis conditionem) *zu vorzugsweis Ungehorsamen".* Talis exegesis libido omnem modum excedit. Vid. l. c., p. 80 sqq. — praetermisimus etiam POELMANNUM, qui opinando PAULUM dicere „posse Deum absque ulla injustitia gratiam suam ostendere et abscondere cui velit" (p. 21), mirum in modum aberravit ab Apostoli sententia. Plura exhibent Interpretes, quos es. imprimis FRITZSCHE multas opiniones referentem, et MEYERUM in egregia commenti OLSHAUSENI refutatione cetera pleraque confutantem. Cf. etiam DE WETTE, *Bibl. Dogm.* (ed. 3.) § 278.

†) Alterum οὖν, quod receperunt (D. E. F. G. al.) LACHM. et TISCHEND., rejiciunt WETST., GRIESB., FRITZSCHE al. Ab utraque parte cum causa rem agere mihi videntur.

Deus σκληρύνει ὃν θέλει, dixeris: τί ἔτι μ.; (egregie cogitatorum PAULI continuationem exponit HOEKSTRA p. 344). Multi hîc Judaeum superbum et impium contra dicere censuerunt, inter quos etiam MEYERUS. Injuria sane. Nam haec epistola non scripta est Judaeis, ut vulgo credere videntur (v. supra p. 133.); data est ad Christianos, quos pie recteque sibi obloquturos bene perspexit PAULUS. Nimirum expositae sententiae sponte opponat necesse est homo bonus rationem humani juris; neque fieri potest quin justissimus quisque et religiosissimus sanctam legem secutus, quam in corde scriptam habet, ista sententia everti censeat sentiatque aequitatem culpae imputandae peccatorum. Inepte igitur Judaeum quendam hîc appellari credi videtur, quum potius *lectores* alloqui Apostolum existimandum sit verbis ἐρεῖς οὖν μοι. Utrum vero improbitati habuerit talem interrogationem (ut contendit etiam noster v. HENGEL l. l. p. 29.: „*maar, zonder regelregte beantwoording, wijst hij dit af als een vermetel twisten van het schepsel met den Schepper, waarbij de verkeerdheid des harten voorop staat*"), non dixit PAULUS; sed eatenus poni potest, quatenus ille homo non memor sit rationis, quae inter ipsum et Deum intercedat; quam rationem illustrat similitudo. Fingit igitur Apostolus sibi obloqui quemdam: τί ἔτι μέμφεται; sc. ὁ θεός, quod repetendum est e vrs. 18., arctissime cum n. v. cohaerenti; ἔτι (et οὐκέτι) „usurpatur in argumentatione, quum aliqua sententia quam posueris aliam sententiam tolli dicendum est" (FRITZSCHE, II, p. 328); cf. Rom. VII, vrs. 17. Gal. III, vrs. 18. — μέμφεσθαι significat *incusare, culpare, reprehendere* (v. Lexica) *), quod moneo quia MEYBOOMIUM video male vertentem: „*waarom bestraft hij dan?*" (l. c. p. 246). Interrogatione effertur quod directe dixeris: „igitur injuria

*) Dignus est quem laudem locus EURIPIDIS, ubi egregie illustratur usus verbi μέμφομαι, *Med.* 908 (ed. PFLUGK et KLOTZ.):

αἰνῶ, γύναι, τάδ', οὐδ' ἐκεῖνα μέμφομαι·
εἰκὸς γὰρ ὀργὰς θῆλυ ποιεῖσθαι γένος,
γάμους παρεμπολῶντος ἀλλοίους, πόσει (PORS. Ald. secutus παρεμπολῶντι γ') cf. etiam vrs. 1101.: ἤγγειλας οἵ' ἤγγειλας· οὐ σὲ μέμφομαι.

culpat". Sententia PAULI est: Si deus sua voluntate et efficacitate contumaces reddit homines (quo fit ut fidem non habeant Christo), male et injuria hanc contumaciam iis vitio dat. Ratio redditur his vv.: *τῷ γὰρ* *) *βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;* quod male reddunt nostrates: „*want wie heeft synen wille wederstaen?*" Immo: quis *resistit* etc.? *ἀνθίστημι* enim est eorum verborum, quae in Perfecto eam notionem exprimunt, quae ex actione absoluta verbi exstitit. Ut qui natus est, jam est (*πέφυκα*), qui expergefactus est, vigilat (*ἐγρήγορα*), sic qui se posuit jam stat (*ἕστηκα*). cf. imprimis R. KÜHNER *Ausf. Gr. u. s. w.* II, p. 71; etiam THIERSCH, *Hom. Gr.* § 287. Itaque *ἀνθέστηκα* est *obsisto*. v. Rom. XIII, vrs. 2. HOMER. *Iliad.* XX, 70: *Ἥρη δ' ἀντέστη- Ἄρτεμις.* Non adeo dixit PAULUS: „nemo obsistit" (FRITZSCHE). Rectius censetur, in vivida et alacri oratione valere vv.: „quis potest resistere?" „Vox *βούλημα* expressa esse videtur quia hac definitius ob oculos ponitur id quod Deo erga homines agere placet" (TIJSSEN, *Anthrop. Paul.* p. 141). Efficitur summam potestatem Dei, voluntatemque, cui nemo possit resistere, afferri causam quod Deus injuria vitio vertat si quis ab ipso *ἐσκληρυμμένος* contumax est et Christo fidem non habet.

Nunc audiamus quid respondeat Apostolus interpellationi vrs. 20. *Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ;* etc. —*μενοῦνγε* apud Atticos nunquam sententiam ducebat; dialectus Alexandrina eorum usum reliquit ut in aliis particulis (v. WINER, p. 642. sq. et omnino WETSTENIUM I, p. 730. sq.). De significatione cf. FRITZSCHE *Sendschr.* p. 24 et RÜCKERT II, p. 47. sq.; de usu Graecorum (solum *μενοῦν* scribunt) HARTUNG *Partik.* II, p. 399. sqq. et KÜHNER II, p. 394., et 587.; ad XENOPH. *Ἀπομν.* II, 7, 5. Exemplis addatur illustrissimum ap. PLATONEM *Gorg.* 470 B.

*) Vocula *γάρ* abest in edit. recepta. — A WETSTENIO II, p. 67. recepta est in textum, auctoritate testium optimorum. Recentiores Critici WETSTENIUM secuti sunt, si unum excipis LACHMANNUM voculam uncis includentem.

Exemplis probarunt particulam vel affirmantem esse (*utique*), vel negantem et corrigentem (*immo vero*). Hîc repelli et corrigi praegressum evidens est, sequi autem quod majus et verius sit. Idem obtinet Luc. XI, vrs. 28. Rom. X, vrs. 18. Non negat PAULUS directe quod dicitur vrs. 19., sed perinde ac Luc. XI, vrs. 28. (ubi v MEYER) vitium quoddam dicentis emendat. Compellatur homo obloquens significanter (quod contra RÜCKERTUM dicimus) ὦ ἄνθρωπε, ut Latini dicere solent *homunculus*, quando cum Diis componitur genus humanum. — ὁ ἀνταποκρινόμενος est appositio subjecti, h. m.: tu qui respondendo contradicas Deo, quis tu es? (verbum illustrat FRITZSCHE, II, p. 329.). Obloquebatur enim Deo μεμφομένῳ. — Haec summa sententiae est, quam sqq. illustrat scriptor et tuetur. Elucet PAULUM id quod contra dictum erat non confutasse; „abrumpit quaestionem" (MELANTHON ap. MEYERUM), abjudicando ab homine jus interrogandi Deum de iis, quae ad Deum solum pertineant.

Ut planum faciat nostrum non esse e Deo repetere rationes eorum quae faciat ille, nos admonet Apostolus de ratione, quae intercedat inter Deum et hominem, quam rationem illustrat similitudine aliqua et quidem dupliciter conformata. Princeps sententia effertur priore forma similitudinis (vrs. 20ᵇ.), haec: „homunculo non licet expostulare cum Deo". Hanc vindicat et confirmat altera conformatio similitudinis (vrs. 21.). Qui figulo dederit de fictilibus jus quod praedicatur vrs. 21., lubenter probabit quod inde consequitur (vrs. 20ᵇ). De similitudine haec teneantur universe. PAULO videtur non diversa esse a ratione inter figulum et fictile ea quae intercedit inter Deum et hominem. Hinc pendet tota argumentatio. Talis autem Divini Numinis descriptio frequentatur in V. F. et in Apocryphis, ita ut PAULUM hac uti non mirandum sit. Est igitur argumentum *ex analogia*, non *a minori ad majus*, quod placuit GLÖCKLERO, etsi hoc ne levissime quidem indicavit scriptor n. Dubitationem quamcumque tollunt dicta qualia leguntur Jes. XXIX, vrs. 16. XLV, vrs. 9. Je-

rem. XVIII, vrs. 6.: *ἰδοὺ ὡς ὁ πηλὸς τοῦ κεράμεως ὑμεῖς ἐστε ἐν χερσίν μου.* Sap. Sal. XV, vrs. 7. Sirac. XXXVI, vrs. 13.: *ὡς πηλὸς κεράμεως ἐν χειρὶ αὐτοῦ, πάσαι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, οὕτως ἄνθρωποι ἐν χειρὶ τοῦ ποιήσαντος αὐτούς, ἀποδοῦναι αὐτοῖς κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ.* cfr. praeterea n. cap. vrs. 21. sqq. — Jam videamus de singulis vocibus et dictionibus. — *μὴ ἐρεῖ κ. τ. ἑ.* Vulgo particula *μή* ita rogationi servit ut exspectetur responsio negans; cf. WINER p. 598. KÜHNER II, p. 578: *„doch nicht etwa"*. Nos: *„het maaksel zal toch niet tot den Maker zeggen"* (si quid creditu difficile aut absurdum est). ll. ap. WINER. *-πλάσμα* est id quod fictum, formatum est, sive ex cera sive e luto sive ex alia quadam materia. H. l. significantur (v. vrs. 21.) *πλάσματα* lutea. *ὁ πλάσας* est igitur figulus, qui finxit et formavit vasa lutea. v. L. BOS, *Exercitt. philol.* p. 112 sq., qui inter bona quaedam hoc male dixit: „Apostolus ut extenuet hominem comparat eum cum luti figmento, vase fictili, quod facili negotio frangitur". Neque comparatur homo cum vase neque Deus cum figulo; sed quemadmodum vas fictile temere figulo objurgaret quod sic finxisset vas, non aliter; ita homini non licere dicit Apostolus expostulare cum Deo, ejus effectore, cur hoc vel illud de se constituerit (cf. SCHOLTEN, l. l. II, p. 91. not. 2. v. HENGEL, l. l. p. 29.) — Sed redeamus ad singula. Inepte igitur vas figulo dicturum sit: *τί με ἐποίησας οὕτως;* i. e. „cur me sic finxisti, neque aliam dedisti formam?" *). Quo melius perspiciatur se recte abjudi-

*) Male GROTIUS, KOPPIUS, al. reddunt: „cur me ita *tractasti?*" Nimirum de *πλάσματι* agitur quod non hoc vel illo modo tractatur, sed formatum est a figulo: v. imprimis vrs. 21. Tum etiam verbum *ποιεῖν* istam significationem respuit. Constat enim primariam verbi potestatem esse *facere, formare, construere,* (*maken*), de rebus sensibus subjectis; hinc quidem ad alias res translata est, sed ita ut sit semper *efficere* „operam dare ut fiat aliquid" (SAUPPE ad DEMOSTH. *Concion.* p. 121). Bene hoc discriminis intercedere inter *πράττειν* et *ποιεῖν* exemplis probat F. FRANKE (DEMOSTH. *Orat. Phil.* p. 57 sq.). Frustra laudatur locutio *εὖ ποιεῖν τινα*, quae declarat *aliquem beneficiis ornare*, non *bene tractare*. Etsi hoc significaret, nondum verbum *ποιεῖν* es-

casse ab homine jus quaerendi, nunc (vrs. 21.) proponit, sicuti figulo liceat ad libidinem formare fictilia e luto, idem in homines esse Dei, fabricatoris, jus. -ἤ continuat similitudinem. „particula ἤ, ut Latinorum *an* proprie non usurpatur nisi in altero interrogationis membro; sed saepe prius membrum ita supprimitur ut tamen in antecedentibus lateat, et inde facile suppleri possit" (RAPH. KÜHNER ad XENOPH. *Ἀπομν.* II, 3, 14.). Tum exercet vim quandam restringendi atque corrigendi: vid. STALLB. ad PLAT. *Criton.* 43. C. Multis exemplis explicavit HARTUNG (*Lehre d. Part.* II, p. 61 sq.) usum et vim hujus voculae, quam sic describit ut rogatione cum ἤ aliquis proferat quod solum supersit, si alia res negata sit. Optime docet nos praeclarus NITZSCH, in l. *Erkl. Anmerk. zu* HOMERS *Odyssee* I, p. 184: „*In ἤ liegt eine Zurechtweisung: der Sprechende berichtigt eine vorhergehende Frage durch Hinzufügung des ihm Warscheinlichsten, oder stellt nach einer gethanen Aeusserung das Gegentheil in einer Frage hin um die Richtigkeit jener dem Hörer desto fühlbarer zu machen*" *Odyss.* I, 298., 391. III, 251. *Iliad.* VIII, 140. Interrogatio nostra contradictionem sumit praecedenti. — τοῦ πηλοῦ est *Genit. obj.* vocis ἐξουσίαν, non *subj.* subst. κεραμεύς: v. FRITZSCHE. Potestatem habet figulus in terram figlinam eam ut *fingat* (non: *tractet*) ex eadem massa (ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος i. q. πηλοῦ) unum vas εἰς τιμήν, alterum εἰς ἀτιμίαν. Praep. εἰς destinationem vasorum adumbrat, ut sint vel vasa honorem habitura, vel contumeliam. Mire NÖSSELT, KOPPE, THOLUCK usum honestum aut vilem designari opinantur; immo „ἡ τιμή et ἡ ἀτιμία *ipsius vasis honor et contumelia* est. Honorem vasi habemus, quo ut pretioso utimur; contumelia afficimus vas, quo ut vili et nullius pretii re abutimur" (FRITZSCHE II, p. 332, probatus etiam DE WETTIO). Tum etiam eos, qui σκεύη

set *tractare;* nam εὖ locum obtinet accusativi ἀγαθόν (ἀγαθά), qui cum verbo junctus unam notionem constituit: *benefacere alicui.* Eodem jure e dictione εὖ πράττειν effexeris, πράττειν denotare: *esse.* cff. Edd. *Lex. Passov.*, II, p. 1065 sq.

τιμιώτερα et ἀτιμότερα interpretantur, refellit vrs. 22 sq. ubi similitudo transfertur: εἰς δόξαν et εἰς ἀπώλειαν.

Nunc videndum est qua ratione hactenus interpellationi responderit scriptor. Propositio erat: Male Deus homini vitio vertit malitiam, quam ipse effecit neque homo avertere potuit. Responsio est, homini non licere cum Deo expostulare. Sic autem nihil probatur nisi hoc: Deum habere potestatem et jus σκληρύνειν ὃν θέλει. Jure culpam sustinere hominem qui non melior sit quam fore eum voluerit Deus, hinc effici non potest (v. STRAUSS, *Streitschr.* p. 172 sq.). Ut non liceat homuncioni quaerere: cur me sic fecisti? manet sui juris expostulatio: quid reprehendis quod ipse sic esse jussisti? Sequentibus etiam haec quaestio praetermittitur. Indicasse hoc loco sufficit quod explicare nihil ad me pertinet. — Nunc vero, siquidem non respondit quaestioni τί ἔτι μέμφεται; considerandum quid dixerit PAULUS, quo loco dicta habenda sint et quid hinc redundet ad illustranda praegressa *). NÖSSELT, KOPPE, al. hanc sententiam enunciare arbitrati sunt Apostolum: „non decere humanam imbecillitatem cum Deo creatore suo altercari; causas, cur hac, non alia ratione egerit, impudentius quam par est exquirere; et si penetrare eas non possit eum reprehendere, injustitiaeque et crudelitatis arguere. Uti debere creaturam viribus a creatore concessis bene et prudenter; non vero in jus tanquam vocare creatorem ipsum". Sed hunc sermonem KOPPII non esse PAULI perspicuum est. Praeterquam quod ista non legimus apud eum, longe alia docent quae dicta sunt vrs. 21. Repellit omnino interrogationem, sed ita ut *positiva* etiam q. d. afferat. Quae quidem cum maxime spectant vrs. 18., jus Dei constituendi

*) Plerique omnes Explicatores hoc vel praetermiserunt vel omiserunt. Sic SCHOLTENUS noster (in l. l. II, p. 91), enarrans PAULI sententiam ne memorat quidem illud τί ἔτι μέμφεται; similitudinem autem in eum finem conformatam existimat, ut illustretur procul abesse a Deo injustitiam si hunc prae illo ornat beneficiis: Mosen collustravit luce qua non gaudebat Pharao. Cum universe SCHOLTENI enarrationem dictorum inde a vrs. 14. probare non possimus, tum maxime h. l. a viro praestantissimo inviti differimus.

de homine quod ipsi placuerit, quo de jure temere deroget homo objiciendo Deo de consiliis et voluntate ejus. Clare dixit Apostolus Deum habere ἐξουσίαν designandi quos velit (ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος) vel ad δόξαν vel ad ἀπώλειαν. Multa absurda e nostro l. complexi sunt pristini Explicatores (cf. HOEKSTRA l. c. p. 344 sq.) Homo audiit figlinum, Deus summus figulus. Talibus non minus inepta opposuerunt alii. Sic SEB. CASTALIO monet quod alias verissimum est, „sapientem nullum vas facere ad frangendum"; BECK (ne recentiores praeteream) notat artificem non fingere vasa forte fortuna, sed apta ad usum praefinitum. Inde nihil effici posset (si eo valeret comparatio) quam hoc: Deum prudentis artificis instar, formare homines certo quodam consilio praestituto et sapienti. Sed haec aliena sunt. In nulla non similitudine, quin in optima quaque, paucis paribus, plura imparia sunt. Hîc valet ἐξουσία Dei, ut bene vidit SCHOLTEN (II, p. 91.). PAULUS tuetur illam Numinis notionem theisticam, qua simile quid Deum inter et hominem intercedere creditur atque inter figulum et fictile, mere *transeuntem* illam, u. d. Qui hoc praeterit ratiocinationem Paulinam non perspiciat necesse est. Sed hodieque etiam ulterius justo progrediuntur. Egregius quidem PAULI Interpres ED. REUSS in hunc errorem incidit; qui ét brutam materiam („*masse inerte*") exagitat, ét libidinis arbitrium („*caprice arbitraire*") artificis, ét omnino hac ratione agere Deum interpretatur; etsi PAULUS neque illud neque hoc dixit; saltem nonnisi *potestatem* Dei vindicavit in homines, qualis sit opificis in materiam. „Sed potestas et libertas absoluta non infert voluntatem decretumque absolutum." (BENGEL a. l). Quae sententia ideo tantum proposita est ut appareret recte interpellationem propulsatam esse hoc responso: μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ;*) Nihilo

*) RÜCKERTUS olim (cui assentitus est USTERI in l. l. p. 257 sq.) male inter se congruere existimabat rationes figuli et Dei; (exhibent ejus verba USTERI l. l. et REICHE a. l.). In altera ed. Comm. hanc opinionem non iteravit, et in „*Magazin*" p. 55 aperte eam retractavit vir candidus. Refutata est ét ab auctore ipso ét a FRITZSCHIO et MEYERO, quos v.

secius sententias edidit PAULUS vrs. 19—21, quae cum superioribus aptissime concinunt; et tam diserte, ut hîc quammaxime condemnentur quaecunque interpretationes praegressa in mitiorem partem conati sunt explicare. Animadvertendum est imaginem imprimis appositam esse ad intimam scriptoris declarandam persuasionem; ad cognoscendam quoque aliquid conferre. Supra res quaedam definitae (*feiten*) occupabant scriptorem, delectae quidem, nec tamen non quodammodo comprimebant; similitudine adhibita accurate et clare cogitata sua edere potuit. Qua in similitudine praesertim valent ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος et εἰς τιμήν atque εἰς ἀτιμίαν. Haec transferuntur in salutem Messianam (δόξα) et interitum (ἀπώλεια). Itaque h. l. satis diserte jus Dei vindicat praefiniendi ad salutem hunc prae illo; quod fecisse Deum toto capite contenderat et probaverat. Quod autem *ex eadem argilla* diversa vasa fingere opificem dicit Apostolus, hoc certissime spectat humanam naturam indolemque quae nondum sit conformata. Sicut figulus non format σκεύη εἰς τιμήν e *meliore* creta quam vasa εἰς ἀτιμίαν; sic Deus praestituens quosdam ad societatem regni Messiani non tenebatur qualicumque eorum indole; priusquam esse coeperunt alter altero non melior erat: geminorum quoque sors antequam nati erant decreta est (vrs. 11 sqq.). Itaque dixit PAULUS nulla ratione a Deo abjudicari posse libertatem ac jus praefiniendi beatitatem Messianam quibus placuerit nulla hominum ipsorum habita ratione.

Plerique Interpretes anti-praedestinatiani (qua voce brevitatis causa utar) hîc haeserunt. Dictas sententias aliqui praeterierunt magnifice affirmantes talia Deo indigna Apostolum PAULUM non docuisse. At tamen sic non multum proficimus; et praeter hujusmodi contradictiones nihildum adversus propositam interpretationem protulerunt. Sed contendamus qua ratione locum expedire sibi visi sint duo disciplinae Groninganae alumni, dd. MEYBOOM et POELMAN. Nimirum hic, de propagandi Evangelii ratione inter gentes agi opinatus, nostra similitudine illustrari tradit Dei „potestatem et plenum jus" invitandi ad

coetum Christianum „pro arbitrio suo" gentes populosque. Memoria digna videtur haec interpretatio ob singularem licentiam vel potius audaciam qua cernitur; refutationem autem post dicta nemo amplius exspectet. — Non minus in errore est opinio doct. MEYBOOM. Hic enim liberius redditis verbis Apostoli talem sententiam procudit in qua *rationalistica* q. d. Dogmatica possit acquiescere. Exemplo sit vrs. 20., cujus verba: *τί με ἐποίησας οὕτως;* sic reddit: *„waarom bragt gij mij in omstandigheden, waaronder mijn aard zich zoo ontwikkelde, en openbaarde, en ik die persoon werd, die ik ben?"* (l. c. p. 248.) Quis, quaeso, hanc sententiam editurus, verbis illis PAULI usurus sit? Ne dicam de confusione, qua quae ad vas fictile pertineant referantur ad Pharaonem. — At obstat vrs. 21.: quid igitur? Audias MEYBOOM, p. 233.: *„In den geest van een Paulus kon het onmogelijk* (!) *opkomen, de betrekking van menschen, ja van Gods uitverkorenen, tot God voor te stellen, als die van eenen vormloozen, dooden leemklomp tot den pottebakker"*. Ergo non continet sententiam PAULI, sed *κατ' ἄνθρωπον* dictum est, auctore MEYBOOM. Quod tale quid ne levissime quidem significatum est a scriptore, hoc MEYBOOMIUM non coercuit; quod Christianis scripsit Apostolus, non Judaeis, v. d. non curavit. Sequentia quoque, quibus eaedem notiones continentur ac vrs. 21., MEYBOOMIUM non continuerunt ab ista sententia; haec enim sic se explicare posse putavit ut opinionibus non officerent amplius. Versum 20. non minus libere expedivit (v. supra), submota comparationis memoria quamvis certissima, ut eandem vrs. 21. palam tolleret. Praeterea tota disputatio (vrs. 6 sqq.) ita composita est, ut sententia qualem adumbrat similitudo nostra exspectari posset. Post ea quae de suprema ac libera Dei voluntate jam dixerat neminem miretur vrs. 19 sqq., quum haec illis contineantur. Hoc negari non posse probavimus ab Interprete, non inservienti Dogmaticae, sed cui (ut auctori rerum Romanarum „a spe, metu, partibus rei publicae animus liber erat" SALLUST. *Catil.* IV) simpliciter scriptoris sententia

curae est. Apparuit ex accurata et religiosa cum verborum tum sententiarum earumque contextu. — Efficitur ut audacius aliquanto Interpres aliquis affirmet scriptorem aliquid non potuisse dicere.

Postquam haec hactenus disputavimus, paulisper respiciendum est. Contendimus (p. 195) hac parte sermonis Apostoli prorsus redargui quacumque ratione molitos in mitiorem partem interpretari vrs. 18. et quae praecederent. Jam primum hoc apparuit ex interpretationibus quibus nihil perversius, per quas sententias veras averruncare conati sunt. Nullo loco tam evidens erat enarrationis perversitas. Efficitur non commendari sententias, quibus hac opus sit. Sed praeterea, quando recte dicitur illud *τί ἔτι μέμφεται;* (v. HENGEL, l. l. p. 29: *„wat klaagt God den mensch wegens ongehoorzaamheid aan, die buiten zijne schuld ligt?"*)? Num ubi de aspera quadam tractatione sermo fuit? Immo vero Deus non vitio dat tibi, quod asperius tractere. Hunc solum consequitur reprehensio Dei, qui ejus voluntati non obtemperet, sed contumacius resistat, ut in Pharaone ostenditur. Itaque ex hac interrogatione elucet de asperitate vitae et calamitate quadam (qualem Esavi fuisse finxerunt) sermonem esse *non potuisse*. Nec minus opiniones anti-praedestinatianas condemnat tota responsi ratio. Erat enim facillima explicatu res, posito oriri posse interrogationem e praecedentibus. Poterat explicare scriptor juste semper reprehendere Deum peccata omnia, quorum contraherent ipsi culpam homines; libertate enim uti; tum vero divinam justitiam habere rationem rerum humanarum copiaeque ac facultatis quae cuique sint ad obsequendum voluntati Dei. At de talibus ne verbum quidem. Adhibita imagine figuli sententias protulit PAULUS, quae non solum plane contrariae sunt opinionibus, quales praedicant MEYBOOM, POELMAN, alii; verum etiam prorsus absurdae essent et alieno loco, si responsionis vice deberent fungi ad interrogationem ortam e disputatione qualem illi vv. dd. enarrarunt. Recte igitur dixisse mihi videtur cl. REICHE, II, p. 311.: *„Will man die indeter-*

ministische Erklärung durchsetzen, so ist die Abfertigung nicht blos unlogisch, sondern sinnlos". *)

---

§ 5.

Enarratio vrs. 22. sqq. †).

Vrs. 22. ad. 26. unum constituunt enunciatum. Singulis versibus distinctis semicolis male contextui consuluit GRIESBACHIUS. Post singulos est ponendum comma, in fine enunciati

*) Plura hîc denuo reliquimus, ne dicta iteranda essent. Sic de praescientia quam aucupati sunt quidam quamque multis ceteris erroribus superaddidit doct. MEYBOOM ne verbo quidem amplius monendum videbatur. HOFFMANNI commenta satis refutavit MEYER ad ll. Interpretationis Dähnianae haec specimina proferre lubet: *τί ἔτι μέμφεται;* spectat illud *ὅπως ἐνδείξωμαι κ. τ. ἑ.* (vrs. 17.) et significat: quid vituperat Deus, si penes eum est fidem deligere ut salutis viam? Crederes nunc expositurum Apostolum fidem patere omnibus. Sed tam perspicax prudensque non est PAULUS Dähnianus. Maluit imaginem describere figuli qua efficiatur *„dass der Mensch unter keinen Umständen sich bei Gott entschuldigen konnte, selbst wenn er die andere Bedingung nicht hätte erfüllen können, indem immer die vollste Schuld des Mangels an eigner Gerechtigkeit auf ihm lag"(?!).* Jam vrs. 20. hanc sententiam continet: *„Kannst du dich auch nur selbst für gerecht vor Gott achten, dass du irgend welche Ansprüche an ihn zu erheben vermöchtest?"* Denique vindicatur vrs. 21. jus Dei eligendi fidem ad conditionem salutis aeternae. Haec et alia similia leguntur in libro c., p. 81 sqq. Ipsa se confutant. Memorabile est quo confugiendum sit opinioni quam exhibuimus p. 29 sq., refellimus autem iterum et saepius.

†) E multis de nostri capitis interpretationis difficultate querelis haec una accipienda videtur, partem quam nunc explicaturi sumus satis impeditam esse et aliquantum perplexiorem. Etenim quum quae antecesserunt horum neque grammatica ratio incerta esset vel anceps, neque cogitatorum series perpetuitasque ambiguae et involutae: quibus rebus cernitur omnis interpretationis evidentia; haec de loco nostro non ita luculenter praedicanda sunt, etsi nequaquam haerendum est, dum recte insistamus. De quibus dubitare posset aliquis, haec levioris momenti sunt, quoniam summam quidem sententiae nihil attingunt.

vel punctum (TISCHEND.), vel signum interrogationis (FRITZSCHE). Vulgo ellipsin hîc deprehenderunt Interpretes pro amore ellipsium quo ducebantur olim ut licentia uterentur supplendi sententias. Appellentur, licet, ellipses; dummodo earum sit certa lex atque dirigatur explicatio ad rationis disciplinaeque normam. Incisum nostrum, quod ducit εἰ δέ, est anantapodoton, non infrequens in enunciatis hypotheticis: sed semper ita ut apodosis facile e praecedentibus repeti possit. v. ROST, *Lex. Pass.* I, p. 782. HARTUNG, *Partik.* II, p. 212 (6). STALLBAUM ad PLATONIS *Protag.* 325 D, (ubi multos locos laudat), et ad *Gorg.* 456 A. Egregie de tali anantapodoto disserit L. DISSEN, *Explic. Orat. de Corona*, p. 297. *). Vertas: *maar, als God nu gedragen heeft, enz.*" Sponte additur cogitatione (repetitum a vrs. 20.): „quid tum? nonne obmutesceret omnis querela et expostulatio?" vel (FRITZSCHE): „nonne sententiae vrs. 18 tristitia, qua offendaris, sublata est? num tu Deum iniquitatis aut temeritatis postulabis?" Postquam jus expostulandi cum Deo ab homine abjudicavit PAULUS, nunc iterum interrogationem (vrs. 19.) considerat, et consiliorum divinorum indulgentia et sapientia laudanda sententiae vrs. 18. tristitiam et severitatem mitigare conatur, quo libentius in ea acquiesceret lectores Christiani, pii, quos concuteret et percelleret fortuna Judaeorum. cf. Joh. VI, vrs. 62. MEYER, *Apostelgesch.* p. 402. WINER p. 618. sq. FRITZSCHE, *Conject.* I, p. 28. 30. †)

Post hanc de forma orationis admonitionem de verborum

*) Eleganter scripsit BECK l. l. p. 90.: „*Een solches bildet in allen Sprachen sich von selbst, namentlich wo in lebendig dialogischer Frageform das Für und Wider verhandelt wird und nach treffenden Vordersätzen die Folgerung für das Eine oder Andere emphatisch der eigenen Ergänzung überlassen bleibt*".

†) Haec anantapodoti explicatio adeo simplex facilisque est et ita praeclare linguae juribus satisfacit ac orationi consulit, ut facile vacemus artificiosis illis longiusque repetitis rationibus restituendi loci nexus, quas moliti sunt Dr. PAULUS, GLÖCKLER, OLSHAUSEN, alii; qui plerique ne consuluerunt quidem satis verbis ac sententiis scriptoris.

significationibus disputandum est, ut deinde totam sententiam complecti possimus et enarrare. Quamquam singulae voces non sunt perdifficiles, tamen multa, ab Interpretibus impedita, rursus expedienda sunt; et revocanda nativa verborum vis simplicitasque. In his habeo σκεύη ὀργῆς et ἐλέους; κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν; προητοίμασεν εἰς δόξαν.

σκεύη ὀργῆς et ἐλέους sunt vasa praeparata ut habeant, patiantur iram et misericordiam. Jubet sic interpretari similitudo modo conformata, quam persequitur PAULUS; unde certe mutuatus est has voces. In archetypo erat: σκεύη εἰς τιμήν et ἀτιμίαν. Sententiam bene reddit VINKIUS noster: „*voorwerpen des toorns*"; male MEYERUS: „*Gefässe voll göttlichen Zorns*". Memorabile est substantivum σκεύη non habere articulum; quo monemur non sermonem esse de vasis quibusdam certis; sed universe loqui Apostolum. Plerique Interpretes existimabant olim hîc respici Pharaonem; in qua opinione fuerunt etiam DE WETTE et MEYER. Hic autem, quo est amore veri nunquam se ipse corrigere gravatus ubi meliora edoctus est, postea emendavit interpretationem, quam retinuit DE WETTE; male sane: opus erat articulo, si σκεύη certum hominem spectabat. Tum etiam (id quod fortasse plus valebit apud eos qui accurationem in grammaticis parvi facere solent) Pharaonis historia absolvitur vrs. 18. Qui etiam nunc dicta ad Pharaonem referunt non recte informarunt argumentationem PAULI. Nimirum de Pharaone non instituit sermonem, neque ejus fata declaraturus regem Aegyptiorum arcessivit noster. Ideo hoc exemplum delegit, quod praeberet illustre dictum Dei quo indicasset Deus se pro voluntate sua contumaces reddere quos placuisset. Ét de Mose ét de Pharaone locutus est Apostolus ut ostenderet Deum ipsum declarasse se ét misereri ét indurare quos visum fuisset. Vrs. 18. satis clare et evidenter hanc complexionem fecit. Post ne verbo quidem rem attigit; neque potuit tangere, si ab orationis contortionibus cavere vellet. Nam sane inepti scriptoris est continuo post comparationem aliquam, quin in eadem cogitatorum continuatione

uti iisdem verbis, quae similitudinis propria privaque essent, sed longe diversa significatione, diversissimasque res spectantibus. Itaque Pharaonis rationem haberi h. l. rite negamus; nec minus respici Judaeos. Adeo universe loquitur Apostolus, ut tum ad Judaeos dicta pertinere censendum sit, tum aeque conveniant in omnes, qui divino decreto salutis Christianae expertes sint.

Acerrime huic interpretationi obloquitur BECK (in l. c., p. 95 sqq.). Recte dixit vocem *σκεῦος*, כְּלִי, varias notiones recipere posse pro diversa usus locique ratione. Hanc autem non favere nostrae explicationi male dixit. Existimat BECK vrs. 22. interpretationem separandam esse a praecc., ideoque *σκεύη ὀργῆς* non referre *σκεύη εἰς ἀτιμίαν*, hisce rationibus: 1°. disjungit incisa particula *δέ*. At hoc nihil est, particulae enim vis non est disjunctiva, sed aut copulativa aut adversativa, mediaque est (ut Lat. *autem*) inter *καί* et *ἀλλά*. v. KÜHNER II, p. 425; HARTUNG, *Partik.* I, p. 162 sqq. et locum ex *Anecd.* BEKKERI p. 958 (p. 165). Ipsa igitur hac voce *suam* opinionem convicit BECK. Tum etiam apposite monet RÜCKERT (*Mag.* p. 58.): „(*dass*) *wohl Niemand die Behauptung wird aufstellen wollen, es könne nicht über eine solche Partikel hinaus in einem Bilde verharrt werden*"; 2°. deinde opinatur BECK diversam conformationem verborum (illic *εἰς*, hîc simplex Genitivus offenditur) arguere diversas res. — Hoc quoque levi momento aestimandum est. Constat enim solere Graecos Genitivo substantivi efferre quod alius vocis notionem restringat, amplificet, brevi: definiat. In hoc genere sunt *πλοῖα σίτου*, *μέλιτος πίδος*, *Odyss.* IX, 196: *αἴγεον ἄσκον ἔχον μέλανος οἴνοιο.* EURIP. *Hipp.* 781 (VALCK.) *ἅμμα δέρης.* Ex hisce apparet Genitivo etiam declarari ad quam rem usurpetur aliquid, quorsum spectet: cf. DE GAAY FORTMAN, *Syntaxis* p. 71. — Nec sine causa varie conformasse videtur verba scriptor. Ne dicam de molesta ac putida praepositionis iteratione (quater legeretur *εἰς* in proxima vicinitate) hoc secutum esse PAULUM existimo ut correpta dictione com-

plecteretur sententiam illustratam; vrs. 21. sermo erat de vasorum factione εἰς τιμήν (verbum ποιῆσαι poscebat praepositionem εἰς); nunc rite scripsit σκεύη ὀργῆς una comprehensione, quo breviter redderet summam illius sententiae. Quae cum ita sint, tamen cavendum est ne, omnibus lineamentis ad vivum resectis similitudinis, tribuamus Apostolo quae cum animo suo non cogitaverit ipse; qua in causa animadvertendum est paululum remittere scriptorem notiones similitudinis, admittere etiam quae non ita plane in similitudinem conveniant, Orientalium secutum consuetudinem, ut egregie monet v. HENGEL l. l. p. 29 sq. — 3°. Quod autem porro contra nos valere dixit B.: *„das Objekt der Darstellung ist nicht mehr ein Bild, eine physische Analogie, sondern eine moralische Persönlichkeit"*, „infelix verborum cavillatio" est. Etenim quid impedit quominus per translationem significetur homo imagine *vasis*, praesertim quae modo disertissime sit proposita? Quid? quod ipse adversarius metaphoram tuetur in sua interpretatione, tantum quod temere deserit indicium scriptoris ac sponte substituit quod melius quadret in opiniones suas. 4°. Denique nostram explicationem efficere pleonasmum putat, qui hoc maxime loco sit intolerabilis. Hoc autem commentitium crimen esse, quin multo magis valere contra BECKII rationem mox apparebit. — Hisce verborum praestigiis verissimam interpretationem refellere sibi videtur BECK, et probare aliam quam proposuit jam BENGEL: „ὀργῆς) *irae*, quae sane non sine causa est, et peccata praesupponit". Tribuit voci significationem generalem: *objectum*; et σκεύη ὀργῆς interpretatur homines sua culpa irae divinae obnoxios. *). Multas perversas explicationes omittimus †); unam hanc NÖSSELTI memoramus ob singularem licentiam et negligentiam linguae legis: „σκεύη ὀργῆς sunt ii

*) Nonne optime convenit in auctorem ipsum haec BECKII admonitio: *„Und warum undankbares Lehngut auf Umwegen herbeiziehen, wo besseres so nahe liegt?"*

†) E. c. GLÖCKLERI, qui haud ita congruenter naturae finxit *vasa* quae ipsa se formarint ut essent vasa irae.

quos Deus castigare aut durius tractare, sed σκεύη ἐλέους quibus benefacere vel quos tractare clementius vult".

Nunc disputandum est de verbis κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Verbum καταρτίζειν significat *componere*, tum vero *instruere*, *parare*, qua vi a POLYBIO saepe usurpatur (κ. ναῦς, πλοῦς, στόλον, cett.: v. SCHWEIGH. *Lex. Pol.* p. 386.). Quod cum ita sit, aptissimum videtur n. l. interpretari σκεύη „quae ad ἀπώλειαν instructa, parata sunt": quae apposita minime abundant, ut opinatur BECK. Verba σκεύη ὀργῆς breviter complectuntur similitudinis notiones. Quo melius qua ratione sit traducenda ad res hominum illa intelligatur, addit PAULUS verba: κατηρτ. ε. ἀ., ut vrs. 23.: ἃ προητ. ε. δ. Ineptae forent accessiones, si BECKII ratio interpretandi vocem σκεῦος valeret. Analogia vrs. 21. nostram explicationem flagitare videtur. — Multis autem haec interpretatio displicuit ob sententiae asperitatem; quam mitigare conati sunt vel ita ut relicta ratione participii passivi mediam reciperent, vel amissa omni participii ratione existimarent instar adjectivi esse participium.

Itaque multi (CHRYS. al. TURRETT., NÖSSELT, STEUDEL, OLSHAUSEN, plures ap. WOLF. *Cur.* a. l.) reddunt haec verba: homines tales qui *ipsi se* ad ἀπώλειαν composuerunt *). Scite a. l. scripsit BEZA: „Ac mihi quidem non aliter loqui videntur qui vasa irae dicunt καταρτίζεσθαι a se ipsis, quam si quis vas aliquod diceret non a figulo, sed a se ipso fingi" (laudat FRITZSCHE quoque hoc monitum BEZAE); idque recte. Nam, siquidem omnia suadent (v. supra) agnoscere h. l. continuationem similitudinis, temere haec deseri videtur; et quidem nulla scriptoris admonitione male inferri quod plane illi sententiae contrarium est. Non scripsit PAULUS σκεύη *a se ipsis* parari ad ἀπώλειαν, neque potuit scribere, nisi forte licet scriptori dicere quo pervertat modo dicta. Tum vero vrs. 21. affirmavit Apostolus Deum potestatem habere fingendi homines ad δόξαν et ἀπώλειαν; supra Dei libertatem vindica-

*) Anglus Interpres: *„that had been working out their own destruction."*

verat in ἐλεεῖν et σκληρύνειν. Toto capite *disjuncta* sunt, quo jubemur n. dictum et ἃ προητ. εἰς δ. (vrs. 23) ex eadem lege interpretari, quum non obstet lingua. Quibus permotus rationibus haud per injuriam ineptam existimes interpretationem, quae nullam habeat probationem praeter opiniones dogmaticas. Etenim quod censet OLSHAUSEN inter se repugnare: „Deus indulgenter tulit quod ipse paravit"; non accipiet hanc causam qui consideraverit eandem controversiam factam esse vrs. 19.; PAULUM vero non sustulisse alterutram sententiam quo dirimeret controversiam, sed longe diversa ratione respondisse interrogationi. Neque facile GLÖCKLERO assentietur Interpres censenti sanam mentem jubere ut ne Deum habeamus fictorem σκευέων ὀργῆς; de his rebus judicet contextus, non philosophia *).

Qui participium κατηρτισμένα ita explicant ut sit instar adjectivi quod declaret statum aliquem vel conditionem, cujus origo non respiciatur; vertunt autem *composita*, *idonea* (*rijp ten...*) (GROTIUS, BENGEL, BECK), meliorem certe habent auctoritatem. Quamquam nihil est analogia linguae Hebraeae adjectivis inopis, quam advocat BECK; scripsit enim PAULUS lingua Graeca, cujus non ignarus erat subtilitatis nec imperitus; quamquam et hoc commentitium est confugere PAULUM (quod in omni lingua usuveniat) ad participium quia adjectivo destitutus sit; suppeditabat enim ἕτοιμος vel alia vox: potest certe participium sic reddi, quia *Perfecti* est propria vis describere rem absolutam (v. KÜHNER, II, p. 70 sq.). Utrum vero recte h. l. verbi vis relinquatur, ex orationis perpetuitate

*) Quo melius perspiceretur Deum eorum non esse fictorem, multa nugatus est GLÖCKLER de verbo καταρτίζειν, quod sit ita parare aliquid ut deforme fiat abjectumque; deberi hoc praepositioni κατά. Sed praeterquam quod praep. significatio commentitia est (longe diversa enim est ratio verborum καταγιγνώσκω, κατακρίνω, κατηγορέω, al.), usus eam satis redarguit, nam *semper* contrariam vim habet verbum cum apud Graecos tum in s. Scriptura, in bonam partem videliect. Significat *reficere*, *instaurare*, *reconciliare*, *confirmare*, *instruere*, plura. v. Lexica. HESYCH. τελειοῦν reddit. Itaque frustra GLÖCKLER hanc fortunam tentavit.

efficiendum est. Negant KOPPE, REICHE, RÜCKERT, USTERI, DE WETTE, FRITZSCHE, MEYER, LUTZ, REUSS, al., qui subjectum verbi esse arbitrantur Deum. Quos bene judicasse censeo ob hasce rationes: primum parallelismus loci invitat ad hanc interpretationem (vrs. 23); disjuncta esse ἃ προητοίμασεν ε. δ. et κατηρτισμένα ε. ἀ. cum sponte appareat (δόξα, ἀπώλεια), tum evidenter efficitur e vrs. 21., quo uno loco habentur ποιῆσαι εἰς τιμὴν et εἰς ἀτιμίαν. Utrumque licere Deo contendit Apostolus. Jam vero ratio flagitat ut n. l. teneamus illam notionem primariam, quam retineri singula verba docent. Interpretatione inita BECKII hanc loci concinnitatem pervertimus; intromittimus autem sententiam, quae prorsus inexspectata erat, neque quod non adulterina sit habet quidquam auctoritatis. Deinde disputatio omnis in hoc est ut celebretur Dei unius efficientia in rebus salutis, unde pendeant cum adeptio salutis, tum contumacia illa, qua fiat ut Christo fides non habeatur. Itaque eadem sententia quod offendatur non mireris; conspicitur in hac re scriptoris constantia. Mirum fuisset si hoc maxime loco eam deseruisset, quam postulant adjuncta omnia. Mirum quoque videtur Interpretes tam cupide de hac interpretatione certare, proinde quasi hujus loci exterminata sententia duriore ceteras etiam expulissent. Postremo advertatur sententiam quam repellunt, haud insolitam fuisse Judaeis (cf. REICHE a. l. et WETSTEIN ad Act. XIII, vrs. 48). *).

Quamquam logica interpretatio haec ita postulat, tamen non diserte elocutus est Apostolus Deum ad interitum adornasse homines; memorabilis certe est haec subtilis prudentia (BECK: *„feinsinnige Besonnenheit"*); BENGEL more suo inquinate: „praescinditur a causa efficiente". „At cum agit de electis, flexo sermone dicit Deum eos praeparavisse ad gloriam" (P. MOLINAEUS ap. WOLF. *Cur.* a. l.) Prae pietate continuisse videtur subjectum.

*) Recte dixisse videtur MEYERUS, in interpretatione N. T. praeclarus vir: *„und alles Clausuliren, wodurch herauskommen soll, dass sie sich selbst zum Verderben zugerichtet hätten, ist wort-und contextwidrig"* l. l. p. 301.

Injurium est hoc praetermittere et vertere: „quae *Deus* paravit ad *ἀπώλειαν*" (FRITZSCHE). Temere quoque FRITZSCHIUS ad aeterna consilia retulit hoc *καταρτίζειν*; desideratur praepositio *πρό*, quae solita est ubi de electione ad salutem est sermo; quo jubemur ultra modum non progredi in explicanda hac dictione, quo definita est notio verbi *σκληρύνειν* (vrs. 18.). Hoc neglecto et BEZA erravit sponte ad „creationem" respiciens. Fieri potest ut PAULUS talia cogitatione perceperit, et sicut electionem, constitutionem ad *ἀπώλειαν* etiam repetiisse ex aeterno decreto: h. l. id non dixit. — Haec ad simplicem grammaticam interpretationem pertinebant; cetera proferemus ubi de altero membro disjunctionis quaedam dixerimus.

Sequitur igitur ut explicemus *ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν*. Male multi (AUGUST., CALV., BRETSCHNEIDER s. v., HARLESS ad Eph. II, vrs. 10.) *προετοιμάζειν* idem esse putarunt quod *προορίζειν*. Differunt inter se *ἑτοιμάζειν* (*parare*) et *ὁρίζειν* (*definire*), neque tollit discrimen locus PHILONIS apud BRETSCHNEIDERUM. Hoc maxime loco idonea est verbi *ἑτοιμάζειν* notio, siquidem respicitur opera figuli (*ποιῆσαι*) et retinetur metaphora *σκεῦος*, in quam male conveniret *προορίζειν*; cf. *καταρτίζειν*. Tum apposite monet FRITZSCHE (II, p. 339.) „parari aliquid posse non solum re et manu, sed etiam mente et consilio, quum tu aliquid paraturum esse tecum firme constituas". Est igitur *προετοιμάζειν praeparare, ante parare*; quo tendat illud *πρό* non liquet ex h. l., verum alibi hoc satis diserte dixit PAULUS, imprimis Eph. I, vrs. 4. sqq. (v. supra p. 42. sqq. 54. sq. 69.). Injuria praepositionem neglexerunt LOESNER (*Observv. ad N. T. e Philone Alex.* ad l., p. 259 sq.) [all. l. ex PHIL. *Opif.* p. 17. A.] et KOPPE a. l.; bonus scriptor relinquit quod otiosum foret; hîc subtiliter exarata est. Locos, quibus opinionem defendunt, melius explicat FRITZSCHE l. l.; cf. praeterea MEYER *Ephesebr.* p. 91., et quae diximus p. 4. — Nostram interpretationem oblique confirmant nonnulli, doctrinae Calvinianae infensissimi, ubi ad

litteram recte sic explanari verba Apostoli contendunt, sed alio confugiunt ut sententias severiores praetervehantur, haud ita perspicaces. Sic praeeunte ORIGENE finxerunt quidam adversarium cum quo collocutus esset PAULUS, cujusque commenta exposuisset. Quin etiam, CELLOTIUS in *Historia Gotteschalci* hinc repetiit aetate Apostolica exstitisse *haeresin praedestinatianam!* Nimirum viderunt aliud sonare vocem Apostoli ac Interpretum enarrationes. In eodem genere est KOPPIUS, qui modo notatas interpretationes ferendas esse negans ipse excogitavit aliam ineptiorem etiam; populari videlicet sermone significare tradit *κατηρτισμένα ε. ἀ.*: „certo et inevitabili fato perituri"; argumento sint Joh. III, 16. Coloss, III, 6.

Haec jam transitum parant ad considerandum quantopere vexarit probatas sententias PAULI exegesis u. i. d. rationalistica *). Proferamus exempla quaedam. BUDDEUS, ceteris in rebus praeclarus theologus, PAULUM sic retulit: „*vasa irae*: irae autem sive (?) justitiae suae Deus tum demum locum relinquit, cum apud homines, consilium salutis suae proterve repudiantes, gratia et misericordia non amplius locum invenit. Unde statim elucescit ex parte hominum aliquid accedere, quod Deum ad decretum reprobationis permoveat, adeoque ut *causa* quam vocant *impulsiva externa* spectari queat, peccata scil. etc" (*Institt. Dogm.* V, II, 11. *not. a*). Unde haec manarint non est quod dicam; apparet autem sic totam disputationem Paulinam perverti, quippe quae ipsa contraria sit opinioni BUDDEI. Alii arrodunt vocum *δόξα* et *ἀπώλεια* vim. Sic NÖSSELT *δόξαν* accipit „quamcumque beatitatem" *κατ. εἰς ἀπώλειαν* vertit „qui se ipsos *quasi* ad poenam s. internecionem composuerunt"; tecte de his vocibus disserit proinde quasi quae toto capite tenuerat vix et ne vix quidem nunc defendere audeat. Postulat ratio ut, qui supra de externis

*) Significo eorum interpretationem, qui non acquiescunt in vestigata et inventa scriptoris sententia, sed praeterea laborant ut eas concordare doceant vel cum dogmatis Ecclesiae vel cum qualiscumque disciplinae decretis. Utrique eodem loco habendi sunt.

beneficiis sermonem fuisse contendat, idem in eandem partem accipiat δόξαν et ἀπώλειαν|; quod vero nimis dissentit a consuetudine sermonis Paulini. Aperte indulsit Dogmaticae GLÖCKLER εἰς ἀπώλειαν h. m. interpretatus: „*zum Verlieren nähmlich aller ihrer höheren Kräfte und Fähigkeiten, wodurch sie das ewige Leben sich erwerben könnten, also zum Untergang, zu ihrer eigenen Vernichtung*". Esse quemquam qui hanc PAULI sententiam habeat vix accredam. Constat enim ut δόξα est consummata regni Christi beatitas, ita ἀπώλειαν pertinere ad eos, qui hujus felicitatis sint expertes. Utrum vero „Apostolus has poenas aeternas fore sensu eo, quo de iisdem poenis Theologi statuere solent sibi persuaserit" (KOPPE), nunc non quaerimus. (Nonnulla de his vocibus diximus p. 8, 50, 56). Certe verum est, si aliquando de sempiterna gloria et miseria cogitaverit PAULUS, fecisse cummaxime nostro loco. MEYER: „ἀπώλεια: *das ewige Verderben*". Plerique explicatores hanc potissimum sententiam propulsarunt „Deum praeparasse homines ad interitum" ob singularem ejus atrocitatem; veriti autem sunt detrahere de disertissima altera „Deum praeparasse quosdam ad gloriam". Sed tamen et hujus dictionis vim frangere conati sunt quidam. GLÖCKLER furtim intromittit notionem *praescientiae*, laudata explicatione sua loci Rom. VIII, vrs. 29 sq., quae cum illic non sit legitima (v. p. 95—120), tum h. l. sine dubio adulterina est, ubi ne specie quidem significatur atque omnem PAULI disputationem in contrariam sententiam torquet flectitque. Enarratio MEYBOOMII e scholae decretis manasse videtur; scribit: „*God heeft hen voorbereid tot heerlijkheid, hen opgevoed, met zijnen geest bezield, voordat zij toonbeelden van die heerlijkheid zijn*". (p. 249 sq.). Neque vernaculum *voorbereiden* est προετοιμάζειν (*vooraf in gereedheid brengen, maken*), neque in σκεύη quadrat educatio s. institutio. Tum liberius δόξαν quam nacturi sunt σκεύη ἐλέους interpretatur MEYBOOM „*de heerlijkheid zijns* (Dei) *geestes*"; temere hanc δόξης divinae declarationem substituit pro adeptione beatitatis Messianae; porro praepositionem πρό male habuit; non

enim significat PAULUS ἑτοιμασθῆναι antequam ad δόξαν pervenissent σκεύη, verum ἡτοιμασμένα esse εἰς δόξαν antequam Deus patefaceret τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους *). Denique ex interpretatione MEYBOOMII loci prorsus nulla sententia nec scientia est, quod apparebit ubi totum locum complexuri sumus. Talibus rationibus instructus haud praeceps videor levitatis arguere v. d. opinionem, qui nullo prorsus indicio scriptoris ductus non dubitarit etiam haec ad scholae placita conformare quamvis ipsa contraria; adeo contraria ut, quum a PAULO una Dei efficacitas celebretur, toto capite, ita ut homini prorsus nihil reliqui faciat disputatio; MEYBOOMIUS contra unam hominum efficientiam procudat, nihilque Deo reliqui faciat praeter generalem illam rerum administrationem, quae ad singulos non pertinet, nisi quatenus universitatis sunt pars, aut ipsis placuit res divinas attendere. Quam sententiam ut ubique reperiant, leges linguae, rationis jussa nihil pensi neque moderati habere solent istis sententiis addicti †). — Sequitur ut breviter exponamus de explicatione cl. HOEKSTRA, l. l. p. 346 sqq. Has sententias PAULI esse existimat v. cl.: σκεύη ἐλέους sunt qui fidem ha-

*) Quo refellitur etiam BECKII praepositionis explicatio, qua ponitur non pertinere ad σκεύη ejus potestatem, sed ad notionem verbi; h. s. „institutis ab aeterno decretis priusque paratis composuit ad accipiendam beatitudinem". Probare studet hanc interpretationem (?) invectione aliqua petulanti in „horrendum illud aeternum decretum". Sed hoc nihil est. Quod *praeparare* non est *decernere antea aliquid, quo frui possint postea homines*; quod *ante instruere vasa* aliud est ac *parare decreta copiam faciendi vasis gloriae*; quod licentius contendas, praepositionis vim non pertinere ad objecta verbi: hoc est aliquid.

†) En MEYBOOMII ratiocinatio: „*Hij bestemt sommigen tot betooning zijner heerlijkheid, dat is, Hij openbaart in hen de heerlijkheid zijns geestes; anderen tot openbaring van zijnen toorn, dat is, Hij toont in hen zijne verontwaardiging tegen de zonde enz.*" h. e. improbos homines poena multat (nam ipsi improbitatis culpam sustinent), bonos praemio remunerat (non enim promiscue definit ad δόξαν; sed meliores ad hanc fortunam perveniunt ut, quia meliores sunt, Deo fiant similes). Accipiantur, licet, talia cum multo plausu in Dogmatica; at tantum abest ut PAULI fuerint propria, ut nihil magis ei contrarium sit.

bent Christo; cur hisce contigit ut gratiam adepti sint? quia fidem habuerunt. Sed haec fides suspensa erat ex gratia; credi enim non potest nisi sit quod credatur; itaque Deus προητοίμασεν eos ad δόξαν. Haec paulo confusius proponit HOEKSTRA, ita ut non absit suspicio quin ipse senserit aliquantum cum PAULO se dissentire. Ceterum jam convictus est error iste, quo Deum non homines delegisse dicitur PAULUS docuisse, sed facultatem fecisse quo se ipsi facerent delectos. Nostro quoque loco plane refellitur; cuncta verba sunt torquenda et mutanda; supplendum est et addendum et omittendum, Dogmatica imperante, dum prodeat ista sententia. Hoc satis apparet ex grammatica loci interpretatione. — Quale vero pretium habeat disjunctionis enarratio quam commendat HOEKSTRA, constituat lector liber liberaeque exegesis amans lectis hisce: „*zij die om hunne zonden vaten des toorns zijn, zijn ten verderve toebereid; dat is niet: ten verderve geschapen; maar: als vaten des toorns* (*wat zij zijn door eigene zonde*) *door God ten verderve bestemd, en* (*door de wet*) *ook daartoe bereid. Want God heeft overeenkomstig zijne heiligheid aan de zonde onvermijdelijk verderf verbonden*" (l. c. p. 338).

Postquam verborum significatus ac vim exposuimus, nunc dicendum est de eorum structura et sententiarum conjunctione *). Copiam nobis fecit orationis contrahendae FRITZSCHE, qui hunc locum accuratissime tractavit in opusculo *Conjectanea in N. T. Spec. I.*, quod edidit quum annos XXIII nondum compleverat; imprimis autem varias interpretationes egregie expendit locumque expedivit in *Comment.* II, p. 333 sqq. Praeterea praebent utilia WINER, RÜCKERT, MEYER. Prae ceteris in quaestionem vocanda est ratio Participii θέλων, tum, unde suspensum sit illud καὶ ἵνα γνωρίσῃ.

Duabus maxime rationibus explicant Part. θέλων, ita ut vel aliquid concedi censeatur (*quamvis*, FRITZSCHE, MEYER), vel

*) Oratio satis involuta est; videtur oppressisse Apostolum cogitatorum abundantia. Certe iniquus est REICHE, qui scriptorem de industria sermonem complicatam reddidisse censet et quaedam reticuisse.

causam dari (*quum, quia*, RÜCKERT, DE WETTE, WINER, VINKE). Utrumque rite Participio potest efferri. Inter has sententias dijudicare debet ratio loci et scriptoris consilium. — Manifestum est PAULUM voluisse mitigare quodammodo superius dicta admonendo de clemcntia Dei, qua fiat ut magis etiam deceat hominem obmutescere et acquiescere in divinis consiliis *). Quod si tenemus, prior interpretatio alteri praeferenda esse videtur, qua inita praeparari acute vidit MEYER notionem μακροθυμίας, *„welche eine selbstverleugnende ist"*; h. m. „quamvis jubeat Dei sanctitas manifestare etc., tamen clemens est". RÜCKERTI et DE WETTII explicatio illi consilio officit. Hi enim rem sic informant quasi dixisset PAULUS Deum, quum vellet iram suam ostendere, ideo procrastinasse poenas, ut, peccatis coacervatis, eo illustrius fieret divinae irae ac potentiae specimen. Miram clementiam, quae proroganda poenarum die spectet severiores horridioresque poenas! Recte hanc sententiam non recepit cl. VINKE. Sive referas ad Pharaonem sive aliorsum accipias haec dicta, haec numquam μακροθυμία vocari potest quod Deus, quo magis eluceat ipsius potentia, non illico animadvertat in peccatores. Et vero, quî tali sententia dicatur aliquid contra interrogationem vrs. 19. non perspicitur. „Verissime enim specie clementem, re saevum et crudelem esse Deum objiceremus, qui in homines ad sempiternum exitium destinatos idcirco magna indulgentia fuerit, ut multis peccatis contaminati sub vano magnae contractae culpae praetextu denique pessumdarentur" (FRITZSCHE, II, p. 337). Argumentatur idem RÜCKERT (*Magaz.* p. 62) aequabilitatem structurae vrs. 23. (καὶ ἵνα γνωρίσῃ) quae officiat nostrae explicationi. Sed hoc nihil est; nam diversa structura arguit non esse parallela incisa vrs. 22. et 23.; tum etiam optime potest hoc inciso consilium aliquod declarari quamvis illo non declaratum sit. Quod autem monet RÜCKERT, arti-

*) DE WETTE summam vrs. 22 sq. esse contendit *„in der Angabe der göttlichen Zwecke"*. Quod lubenter accipio, dummodo ne hujus „significationis" *finem* negligas.

culum omissum ante σκεύη obstare nobis, vi caret, siquidem non *certa* σκεύη designantur (quod male putat RÜCKERT), Pharao, Aegyptii, Judaei: sed maxime infinite omnes homines κατ. ε. ἀπώλειαν. — Quae ceterae proferuntur explicationes momentum non habent.

Majorem interpretationis difficultatem habet conjunctio vrs. 23. cum 22. — καὶ ἵνα γνωρίσῃ jungi potest cum proxime praecedenti κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, vel ex prioribus ἤνεγκε κ. τ. ἑ. necti. Illud proposuit FRITZSCHE in *Conject.*, I, p. 29., vindicavit in „*Sendschr. an Tholuck*" p. 56 ; recepit RÜCKERT („*Magaz.*" p. 65 sq. „*Comment.*" II, p. 59 sq.) etsi dubitanter; auctor *) interpretationis, nobis in *Comm. Epist. ad Rom.* II, p. 342. optione facta eligendi, utramque rationem tuetur. Alteram explicationem sequuntur praeter omnes fere ceteros MEYER et WINER. De hac controversia brevi praecidam, quum satis sit illustrata ll. ll. Nobis probatur WINERI ratio ob has causas. Verborum complexio simplicior est si καὶ ἵνα γνωρίσῃ nectuntur ex ἤνεγκε; altera explicatio ponit rudiorem verborum conformationem, quum ex verbo καταρτίζειν aptum sit ét εἰς ἀπώλειαν et καὶ ἵνα κ. τ. ἑ. Crederes secuturum καὶ εἰς τὸ γνωρίσαι, vel alia ratione conformatam comprehensionem. Deinde *subjecti* et *actionis* declaratio in Participio Perfecti remissior minus apposita videtur ad ducendum incisum *personale*, u. d.. Porro verbi καταρτίζειν notio ut bene convenit in appositum εἰς ἀπώλειαν, ita non quadrat ad ἵνα γνωρίσῃ, nisi aliquantulum deflexa in aliam vim. Haec contra RÜCKERTUM valere existimo, qui (deceptus auctoritate FRITZSCHII in *Epist. ad Thol.*) καὶ ἵνα γν. pendere jussit e verbo κατηρτισμένα; perperam MEYERUS etiam sic

*) *Auctor* hujus interpretationis proprie est THEOD. BEZA, etsi quid censuerit non diserte elocutus est. Vindicat vir eximius vocalem καί, quam alicubi deesse compererat. Arbitratur eam „complecti alteram causam" (de priore causa nihil admonet scriptor; fortasse designavit εἰς ἀπώλειαν) „cur vasa irae coagmentata seu compacta sint a Domino: nempe ut ex eorum justa damnatione Dominus ex adverso declaret quanta sit sua in iis quos servat benignitas". Plus non docet de hoc loco BEZA meus (ed. 1598).

refert FRITZSCHII propositum. Hic enim nexuit illa verba (vrs. 23.) ex his: κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν, ita ut καί declaret vel *et quidem* vel „*etiam propterea*, h. e. *et ob alias causas*, quas praeterii, *et propter hanc*, quam commemorabo" (*Conj.* l. l.). Sed haec explicatio καί *conjunctionis* insolentissima est. Significat numquam *et quidem*, nisi si praecesserit sententia, quae corrigenda vel confirmanda sit (v. KÜHNER, II, p. 422); id quod n. l. desideratur. Neque *etiam* hîc potest significare. Quamquam enim non ignari sumus voculam καί sic esse *adverbium*; tamen naturam *conjunctionis* nonnihil retinet, ita quidem ut vel aliquid addat dictis supra, vel illis quae non dicta sint, sed facile in mentem veniant, „*wobei aber der Grieche oft ungleich mehr als wir Aufmerksamkeit, Gedächtniss und Combinationsgabe voraussetzt, um auch den entfernter liegenden Begriff der neben dem mit* καί *eingeführten zu denken ist herauszufinden*" (KRÜGER, II, p. 353.). Haec autem notio s. proprior s. longinquior ne retrusa quidem significatur *). Ex quo intelligitur non posse admitti FRITZSCHII interpretationem, in quam convenit etiam quod contra RÜCKERTUM 2° diximus. Permagni etiam momenti est quod MEYERUS affert, explicatione FRITZSCHII orationis u. i. d. aequilibritatem perverti, quum quae sit res (ἵνα γνωρίσῃ κ. τ. ε.) maxime notabilis in enunciato, ex qua sint nexa sequentia, obtineat secundarium locum, quin inferior sit. Caput rei est clementia Dei qua fert σκεύη ὀργῆς, cujus rei quid sit consilium erga σκεύη ἐλέους exponit vrs. 23. †). Itaque hac repulsa accipimus vulgatam interpre-

*) Haec causa videtur esse quod MEYER, opinatus FRITZSCHIUM vrs. 23. suspensum habuisse ex κατηρτισμένα, simpliciter *et* vertendum esse (si sequare FRITZSCHII sententiam) censuerit; hac via autem deprehendi „verba nulla subjecta sententia nec scientia" quivis perspicit.

†) Dignum est quod attendatur hoc MEYERI monitum: „*Auch käme allerdings bei jener Verbindung*" (FRITZSCHII) „*eine Härte des Gedankens, ein Rigorismus der telischen Anschauung heraus, welcher, bei aller Kühnheit der Consequenz, mit der Paulus die Prädestination durchführt, doch keinen weitern Anklang in der ganzen Abhandlung findet, der Gedanke nämlich, Gott habe die* σκεύη ὀργῆς *zum Verderben zugerichtet, um durch den Effect des Contrastes seine Herrlichkeit desto mehr an den* σκεύεσι ἐλέους *kund zu geben.*"

tationem; ut melior est, ita non caret omni difficultate: et hîc vocula καί nonnihil insolenter usurpata videtur. Nihilominus explicari potest, si KRÜGERI moniti memores καί reddimus *etiam* *). Jam totus locus sic compositus est: Quamvis vellet Deus iram suam ostendere potentiamque declarare, tamen admodum clementer tulit vasa irae ad perniciem parata; idcirco etiam tulit ut divitias majestatis suae patefaceret in vasa misericordiae quae ad beatitatem praeparaverat. Vox καί suppressam praefert sententiam, quae mihi videtur esse hujusmodi: clementia utitur Deus cum quia clemens esse vult erga σκεύη ὀργῆς, tum imprimis quia etc. (vrs. 23.). Quod si haec rite explicavi, locus expeditus est; sin aliter, vereor ut expediri queat nisi ita ut θέλων reddatur: *quia voluit*; quod tamen (v. supra) loci consilio parum consentaneum videtur. — Ceterum miror FRITZSCHIUM et MEYERUM tanta levitate hanc quaestionem praeteriisse. — Vrs. 24. continuatur oratio; οὓς spectat σκεύη ἐλέους, sed *per attractionem* genus accipit sequentis ἡμᾶς; in tali sententia ponitur ὃς cum vi pro οὗτος v. KÜHNER, *Comm. Socr.* p. 105.: „*er der*". Significanter hîc legitur καί, h. m. „quos non solum προητοίμασεν εἰς δόξαν, verum etiam ἐκάλεσεν εἰς δόξαν, i. e. adsciscendis nobis sociis regni Christi curavit ut splendoris (beatitatis) participes fieremus". Quae porro leguntur explicavimus supra (p. 135 sqq). Summa horum est probatio, praesignificatum esse in sacris litteris ét receptum iri in regnum Christi gentes (25. 26), ét plerosque Judacos ejus non futuros socios (vrs. 27., 28., 29).

Nunc veniendum est ad exponendas quas praebet locus sententias. Mire eas pervertit ED. REUSS (*Hist.* II, p. 137.), locum interpretatus ac si sic comparatus esset: προετοιμάζει (Deus) εἰς δόξαν ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τοῦ ἐλέους, καταρτίζει εἰς ἀπώλειαν ἵνα ἐνδείξηται τὴν ὀργὴν καὶ τὸ δυνατὸν αὐτοῦ. Eadem peccat RÜCKERT in „*Christliche Philosophie*" (1825)

*) Cf. KÜHNER *ad Anabasin* I, 3. 15.: „sic καί, *etiam*, e suppresso orationis membro, ad quod refertur, explicandum est". vid. II. ibi laudatos et eundum ad XENOPH. Ἀπομν. p. 107 sq.

II, p. 331. Quae ut ita ab Apostolo dici possint (cf. vrs. 17, 21.), tamen vrs. 22, 23. nulla ratione dicta sunt. Prorsus torserunt omnem disputationem vv. dd. Longe diversa Apostolus h. l. protulit, quibus responderet interrogationi vrs. 19. Scilicet recedit paululum a sententia vrs. 21. („*von dem despotischen Standpunkte*" RÜCKERT, II, p. 61) ita ut jam decretorum Dei consilia finesque indicet, quae ejus lenitatem et clementiam praeferant in homines perituros, tum eximiam benignitatem erga electos in luce collocent; quo futurum sit ut Christiani (quos consolatur) acquiescant in divinis decretis. Indulgentiae in vasa irae specimen est quod, quum illico poenis afficere potuisset eos, procrastinet poenas Deus. Haerent multi in hac sententia desiderantes *clementiam* in ferendis indulgenter quos ipse Deus ἐσκλήρυνε s. adornarit ut pereant. STEUDEL e. c. opinatur μακροθυμίαν ad eos tantum pertinere, qui sua ipsorum culpa sint σκεύη ὀργῆς Cui apposite respondet D. F. STRAUSS (*Streitschr.* p. 173) auctoritatem habere κατηρτ. εἰς ἀπώλειαν: qui semel sint comparati ad interitum, quodcumque his temporis punctum concedatur, id iis tribuendum esse clementiae. — Non audiendos esse qui Deum tradant idcirco clementer habuisse σκεύη ὀργῆς ut resipiscerent, jam inde elucet quod PAULUS illud ne significavit quidem, diversum autem consilium indicat; ne dicamus talem sententiam disputationi Apostoli plane contrariam esse. — Sed longius procedit Apostolus. Hanc μακροθυμίαν, quae Deum arguerit clementem in σκεύη ὀργῆς, praeter alias causas hanc praecipue habuisse tradit ut summa Dei benignitas in eos patefieret, quibus praefinita sit salus Messiana. Quod ita est intelligendum ut benignitatis divinae divitiae conspicuae quam maxime sint in vocandis iis, quibus destinatum sit. Nisi poenarum diem prorogasset (παρουσίαν), paucissimos adeo cives haberet regnum Christi; quamvis infinitae multitudini destinasset sempiternam beatitatem Deus: non posset *palam fieri*, *patefieri* (ἵνα γνωρίσῃ) eximia illa et summa benevolentia in electos (τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκ. ἐ. ἃ. προ. ε. δ.);

quos vocavit etc. (vrs. 24.) ut jam participes fiant salutis quae iis decreta est. cf. Rom. X, vrs. 13, 14.

Jam indicavimus hasce sententias proferre PAULUM ut Christianorum Romanorum tranquillet animos. Nimirum dubitationes, quibus occurrit scriptor, erant apud eos; angebantur quod populares plerique miserrima sorte uterentur; fortasse etiam qui exterarum nationum erant spiritus sibi sumserant, quod in locum Judaeorum se substitutos esse opinarentur. His omnibus respondit sic a Deo decretum esse ut paucitas tantum Israëlitarum reciperetur in societatem Messiae; cum delectu liberrimo in hujus regnum adoptare Deum ét Judaeos ét Ethnicos, quum nulla prorsus sit causa quod alter alteri anteferatur. Quo certe Christianis ex Gentibus omnis gloriandi causa est praerepta. Qui autem Judaeae gentis erant, his magno sit solatio *Deum* voluisse ut plerique populares Christi salutis essent expertes. Hanc Dei voluntatem defendit; postremo ut dicunt *teleologice*, qua in re admiramur Apostolum. Quamquam de severitate sententiarum, quas supra proposuerat, nihil remittit, tamen facilius et lubentius acquiescant Christiani consideratione quam legimus vrs. 22 sqq., quia prudenter res contemplativas jam confert ad usum rerum. *Quare* plerique Judaei sint constituti ad *ἀπώλειαν*, non inquirit, quippe quod, ut verbis utar auctoris Iliadis, *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται*; non aliter res se habere persuasissimum erat PAULO. Hoc vero docebat quoque experientia rerum, nondum ad supplicium datos qui fidem habere Christo negarent; quam rem evidentissimam ita interpretatur, ut imprimis ostendat impensam Dei benignitatem in *σκεύη ἐλέους*, nempe eos qui fidem haberent Christo omnes, Romanos etiam Christianos (*ἡμᾶς* vrs. 24.). Jam lectorum animos a contemplatione decretorum Dei, qua non potuerunt non vehementer percelli, traduxit ad laetissimum rerum eventum, quo factum sit ut *ipsi* per vocationem nacti sint aeternam beatitatem. Nulla certe consideratio tam apposita erat ad tranquillandos Christianos quam haec; eorum nunc erat sibi gratulari de divina rerum admi-

nistratione, relictis quae captum superarent; Deoque gratiam habere cujus in se benignitas adeo sit excellens neque locum relinquat qualicumque querelae. Ut recte dixit olim J. A. TURRETTINUS *(Opusc.* I, p. 11.) „Scripturam docere, non tam quid Deus sit in se, quam quid sit respectu nostri", ita hujus laudis socius est PAULUS. Hic enim non longius procedens in abstrusioribus de decretis aeternis disputationibus, quomodo quae comperta habeamus pertineant ad ipsos lectores ostendit, quamque mirabiliter ad ipsorum beatitatem juvandam et amplificandam plurimum haec contulerint cum multa prudentia et lectorum admonitione docet.

Hactenus mihi videor quod de sententiis in hoc capite epistolae Paulinae explicare animum induxeram satis edisseruisse. Refellere quas diversas interpretationes moliti sunt Theologi anti-praedestinatiani post disputata non lubet. Sponte patet e. c. MEYBOOMII sententiam, de qua diximus p. 179., nulla ratione convenire in explanatam orationis perpetuitatem, non dubiam illam. Haud sane per injuriam illos „PAULI verba pervertisse, non explicasse" dixit FRITZSCHE (II, p. 344.). Et vero adeo concinnae sunt sententiae earumque perpetuitas, tam evidenter in hanc partem explicari potest oratio PAULI, ut verear ne qui instituat refutare nugigerula (ut Comicus loquitur) commenta aeque acta sit acturus atque illi qui in contrariam partem hunc locum interpretari laborarint laborentque.

THESES.

I.

Rom. IX, vrs. 6 sqq. *positive* exponitur Dei consilium electione facta adsciscendi socios regni Christi.

II.

De ratione per populos propagati Evangelii nullo modo potest explicari Rom. IX.

III.

Verba ἀγαπᾶν et μισεῖν Rom. IX, vrs. 13. significant *diligere* et *odisse.*

IV.

Verbum σκληρύνειν ut semper, sic etiam Rom. IX, vrs. 18. significat *indurare*, *durum facere.*

V.

Rom. XI, vrs 7. οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, auctore Deo.

VI.

Nullo verbo significatur Rom. IX—XI., finem aliquem futurum τῆς ἀπωλείας.

VII.

Verbum διδόναι nunquam significat *promittere* neque II Tim. I, 9. suam vim propriam amisit.

VIII.

Verbum προγιγνώσκειν Rom. VIII, vrs. 29. habet significationem *ante decernendi.*

VIIII.

Vox περιποίησις in N. T. habet vim *nanciscendi*, non *sibi comparandi.*

X.

In Pauli de praedestinatione decretis nullus locus est *praescientiae* vel *fidei praevisae.*

XI.

Utriusque ét religionis ét disciplinae illud maxime interest, ut sint liberae neque una ex altera suspensa.

XII.

Ad omnium hominum, imprimis Theologorum animi culturam maxime necessaria sunt antiquarum litterarum studia. Ad haec studia sustentanda et alenda adjuvare mihi videtur linguae Latinae in scholis quibusdam Academicis usus. Cujus utilitati non aequiparanda sunt detrimenta.

XIII.

Quae narrat Athanasius de Arii scripto Thalia fide digna non sunt.

XIV.

Testimonium Athanasii (*Ad Episc. Aeg. et Libyae Epist.* c. 22. ed. Ben. I, p. 293) non valet ad statuendam conjunctionem Arianorum cum Meletianis.

XV.

Boni pastoris est, ut in omnibus rebus, sic etiam in *eligendis* magistratibus suasorem esse rudioribus in republica.

XVI.

Gratulor populo, cujus leges non vetent institutionem *Christianam* in scholis publicis pueris erudiendis.

ERRATA.

Pag.	4	lin.	10	(notae) nonnunqum l. nonnunquam
»	5	»	4	*effugisse, effugere* l. *effugisse* (*effugere*)
»	7	»	34	velut, l. vclut
»	8	»	24	vrs. 1. l. vrs. 11.
»	11	»	10	suppeditabat l. suppeditabant
»	15	»	11	nationem l. notionem
»	15	»	27	Graeeos l. Graecos
»	16	»	7	sq. Eph. I, 4, 11. l. Eph. I, 4.
»	19	»	12	κατ' l. κατ᾽
»	21	»	32	exprobavit l. exprobravit
»	24	»	5	ἐτιτυγχάνει l. ἐπιτυγχάνει
»	24	»	15	πρὸς θήραν, l. πρὸς τὴν θήραν,
»	25	»	20	δικαιοσυνη l. δικαιοσύνη
»	26	»	30	ἐκλεκτους, l. ἐκλεκτούς,
»	31	»		titulus Cap. III. leg.: DE VOCIBUS καλεῖν, κλῆσις, κλητός.
»	35	»	1	sorsq uamvis l. sors quamvis
»	36	»	18	Proximumest l. Proximum est
»	36	»	34	*ed.* l. (*ed.*
»	38	»	17	vrs. 30 l. vrs. 30us
»	39	»	8	benificia, l. beneficia,
»	40	»	13	προητοίμασέν l. προητοίμασεν
»	43	»	33	Deinde l. *Deinde*
»	45	»	3	(not.) publicaretur; l. typis excuderetur;
»	46	»	9	Pendit l. Pendet
»	51	»	33	sua l. sua-
»	54	»	21	teste l. testibus
»	55	»	13	vrs. 15 l. vrs. 14
»	56	»	13	Phil. I 18; l. Phil. I, 28;
»	61	»	35	1, 2. l. 1, 2.—
»	98	»	19	(not.) ἐκεινῷ l. ἐκείνῳ
»	98	»	ib.	προμ-αθόντι l. προ-μαθόντι
»	119	»	11	salut l. saluti
»	140	»	10	ἤ l. ᾗ
»	172	»	6	erata ncillae l. erat ancillae
»	182	»	12	respiccre l. rationem habere
»	200	»	2	(not.) effexeris l. effeceris